

G. 10.

PRÆCEPTA 2

MORVM AC VITAE
ACCOMMODATA ÆTA-
TI PVERILI, SOLVTA ORA-
TIONE ET VERSIBVS
QVOQVE EXPO-
SITA,


A .

IOACHIMO CAME-
RARIO PABERPG.



Lipsiæ.

CVM PRIVILEGIO AD ANNOS
QVINQVE.



I

IOACHIMVS CAME-
RARIVS VILHELMO ME-
GALÆ FRANCO, ILLVSTRISS.
principum Luneburgensium ma-
gistro, amico suo,
S. D.



VO AETAS MEA
prouectior fit & au-
gētur anni, Vilhel-
me, eo crebrius re-
labitur cogitatio ad
primam institutio-
nem, & mei & meā
aliorum: Quod &
multa indies attendendo deprehendam
quæ & institutioni puerili cōuenire, & in
illa vsurpanda esse videantur, & ea ani-
maduertam esse tempora nostra, vt si
quando vnquam, his profecto, in educā-
dis pueris magna cura & diligentia re-
quiratur. Nam tanta dissolutio vitæ ac
morum nunc passim existit, vt sæpe quid
denique futurum sit, vehementer metu-
am. Neq; ego is sum, qui aut ingrauescē-
te iam ætate, quasi rixari cū seculo meo,
vt vulgo faciunt, velim, aut oblitus sim
multorum & erratorum, & grauium eti-
am delictorum vitæ prioris, quorum

A 2 cum

cum magno dolore hæret memoria a
nimo, & humili confessione à Deo v
nia flagitatur: Sed hoc profecto verum
est, vt & mea & aliorum peccata sint ma
iora, non tamen ea fuit imprudentia &
immoderatio, non tantus contemptus
eorum, quos natura & Deus ipse alijs
rectores & gubernatores præposuit, nõ
ea audacia atque temeritas tam confili
orum quam actionum. Atque erat con
sentanea eruditionis & doctrinæ incre
mentis, quæ nonnulla facta scimus æta
te hac nostra, animorum lenitas & man
suetudo, nam secundum poëtam, Arti
um bonarum cultura,

Pectora mollescunt asperitasq; fugit.

Et, vt idem ait:

Ingenuas didicisse fideliter artes

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quid ergo in caussa esse, aut quo pacto
accidere dicemus, quod nunc vbiq; ter
rarum in summa vitæ licentia hominũ in
domitæ cupiditates, quietis & hœstatis
& moderationis omnem respectũ sustu
lerint, quod ferocia humanitatem pene
exterminauerit. Ac cogitanti mihi, de
duplici quasi fonte hæc miseria fluere vi
detur. Vno erumpentis turpissimæ iam
leuitatis, in veritatis neglectione & reli
gionis

*Causæ in omnia
vnde hæc miseria
conuersione*

gionis aut nulla aut postrema cura. Altero, harum etiam ipsarum artium quibus ad laudem & decus præparari animi solent, desertionis ac fugæ. Nam, ut prius de posteriore dicam, quo ardore flagrauerint quondam animi discipulorum apud nos, quantus initio studiorum honor & cultus, quid non & conari & perpeti parati fuerint vniuersi ob acquirendam qualemcunque eruditionem, adhuc satis est notum atque testatum. Memini ego me puero, exultare ingenti gaudio nos, quoties vnum aliquem de celeberrimis illius temporis viris intueremur, quasi forte alloqui eorum nos aliquem contigisset, in cælo sibi tum quisque videbatur esse. Ad doctrinas vero illorum ita conueniebatur, ut tempus anticiparetur, ut audiendi ingens contentio, ut gratiosiores essent qui locum concederent. Aduenit tum ad nos Richardus Crocus à Britannia, cum vberiore copia quasi mercis musicæ: Cœp' t profiteri interpretationem Græcæ linguæ. Qui ad illum concursus factus? qui honor externo habitus, vel qui potius non habitus? Quis tum vel labori vel operæ vel impensis pepercit? feruebat opus, florebat ipse, nos incensi eramus discendi cupiditate. Sed

*Tea: Da/m...
bona...
in n. fuga.*

*Richardus
Crocus.*



Quid sitis et is
in is parit

4

E P I S T O L A

paulo post hic ignis in cineres delapsus
extingni coepit, vt facile appareret fuisse
illam nouitatis cuiusdam non virtutis &
sapientiae incitationem. Nam indies ma-
gis & magis in copia sordescere doctri-
na & eruditio, & ad opulentiã ac splen-
dorem conuerti volũtates, & inhiari ab
omnibus, nescio cui altitudini contra-
riã, donec & turbulencia quadam &
motibus ciuilibus, & intestinis etiam
quibusdam dissensionibus afflicta doctri-
nã eruditio, ita corrui, & iam ægre sese
alicubi adhuc sustentet. Sed profecto ca-
put omnium malorum est peruersitas
hominum & vesania, qui ex orientem lu-
cem veritatis, cum omnia iam sacra pro-
fanaq; vt dicitur, in illa clare fulgerent,
non diu rectis oculis tanquã adulterini
aquilarũ foetus aspicere potuerunt, sed
celeriter retulerunt auersos oculos ad
tenebras & caliginem errorum, Pauci e-
nim relictĩ fecerunt illi quidem quod po-
tuerunt, sed aduersariorum molitio &
vis pulcerrima incepta & diuinum studi-
um vehementer impedijt ac repressit.
Hinc maior etiam miseria atq; tumultus
extitit. Nam celari ac tegi vitia erroresq;
cum non possent, & in vero ac recto as-
serendo boni pijq; desererentur, neq;
corrigi

corrigi etiam emendariq; potuit mani-
 festa labes & notum dedecus tam in re-
 ligione quam in reliqua vita, & quod ta-
 men ante oculos omnium iam essent
 multa fane deformia, quæ quasi nubes
 densæ superiorum temporum apparere
 non fuissent: Ideo accidit, vt ille status
 labesceret, & animi hominum mirabili-
 ter insolescerent, atq; exultarent leuita-
 te maxima.

κατα τοὺς ἄλλους ἀπὸ τῆς
 Ὡσὸτε τις σατὸς ἵππος ἀκοήσασ ἐπὶ φάτνῃ,

Δεσμὸν ἀπορῆξας θύει πεδίῳ κροαίνων.

Quemadmodum est apud Homerum.
 Hoc malum nascens qui sanare, & istud
vulnus Reipub. alligare debuerant, Mag-
 ni videlicet quidam & potentes ac sapi-
 entes viri, ij pro dolor, (nam vereor ne
 fera sit querela) illud auxerunt atque ir-
 ritarunt, & tanquam vngues, vt aiunt, in
ulcere, reddiderunt omnia indies peiora
& difficiliora. Ac nunc etiam nonnulli
 quasi contendentes cum improbitate &
 pertinacia sua, non cessant exorto soli
 veritatis, tanquam velum mendacio-
 rum obducere. Qui omnium vehemen-
 tissime queruntur, & atrocis. vocife-
 rantur de corrupto seculi statu, de sub-
 lata quiete, de vitiorum impunitate:
 Cum ipsi manibus & pedibus obnixè

*κατα τοὺς ἄλλους ἀπὸ τῆς
 κατὰ τὸν ἵππον
 κατὰ τὸν ἵππον
 κατὰ τὸν ἵππον*

omnia faciunt, ne consistere impulsæ re-
 spública possit. Cum ipsi soli turbatores
 sint veræ pacis, quæ nisi in perspecta &
 cõprehensa veritate reperitur nusquam.
 Cum ipsi caput vitiorû defendant & or-
 nent, mendacia, errores, incertas senten-
 tias. Sed de his, deq; hac miseria tempo-
 rum nostrorû disputatio, neq; iucunda
 esse vlli potest, & nihil habet utilitatis.
 Neque enim in talib. quicquã proficiunt
 ὁσγῆς νοσοῦσιν ἰατροὶ λόγοι, secundum Aeschyl-
 lum, quippe qui neq; morbum fatean-
 tur, neq; medicinam admittant. Seculi
 autem huius cursus quasi tempestatis
 commotio, tristis ille quidem est & cala-
 mitosus, sed in eo ferenda sunt quæcũq;
 acciderint. Etsi hoc quibus diuina benignitas
 affuerit, ij se tanquam sub tectum,
 & vt Græci loquuntur, ὑπὸ σκέπην, recipere
 & aliquid saltem incommodi vitare so-
 lent, segregantes sese ab illis qui quasi
 gaudeant malis, ita his studiose impli-
 cantur, & fugientes communitatem fu-
 roris ac impiæ barbariæ. Cum igitur in-
 terdum contemplantẽ hæc omnia pau-
 lo intentius desperatio me omnis prope
 felicitatis inuadere soleat, relabitur co-
 gitatio ad pueritiæ institutionẽ, & huius
 ætatis curam, in qua profecto non nihil
 potest

*Pacis veritas
 la. Veritas*

*Sic: praenũtia
 mederi p̄ oratio*

potest optimorum præceptorum vsurpatione, & nescio quomodo veluti acies animorum dirigitur ad veritatem. Non omnium quidem, nam non modo quorundam *ἐν βλάβει βλαβερῶν τινὶ τὴ ψυχῆς ὄμμα κατωρθευγμένον*, vt ait Plato, sed cæcitate etiam corruptum est, verum hæc tamen est sola ratio ac via qua animi excoli, & mentes erudiri, & iudicia confirmari, & voluntates dirigi possint: de quo alibi copiosius disseruimus. Cum autem ea sit firmitas animi mei, vt quamuis sciam de bona & recta puerorū institutione secuturi temporis præclaram spem concipi sole-
 re, tamen nescio quo pacto nunc resiliat ab hac spe assensio mea, fit, vt in rei ipsius consideratione, id est, puerilis educationis respectu sæpe acquiescam, eventumque vt in cæteris permittam Deo. Atque nunc forte oblatus mihi fuit libellus quidam ante annos sane plures à me compositus, argumento paruo & de rebus exiguis, sed hunc cum relegissem, quasi vento quodam, recordationis temporum illorum quibus ille libellus scribi cœptus & approbatione talis doctrinæ, animus noster ad iterum edendum hoc scriptum impulsus fuit. Tu autem mi Wilhelme profecto agnosces quædam in hoc præcep-



præcepta nostra, qui cum prolata primū fuerunt, illa incredibili studio & diligentia complexus fuisti. Eamq; ob rem cum hac quasi compellatione ad te hoc opusculum mittere voluimus, vt simul tua cogitatio ad initia disciplinæ nostræ & exordia eruditionis tuæ, reduceretur, simul hoc ego veluti colloquio cū absente perfruerer. Mihi quidem tuam coniunctionem & gentis & multo magis studiorum gratulor, & valde lætor, mihi debere aliquam partem doctrinæ vt laudis tuæ. Nam nisi tu puer meis monitis, adhortationibus, instigationibus, libenter paruisses, siue castigationibus fuisses refragatus, fortasse tantas progressiones ad virtutem non fecisses. Tu vero non modo studiose nobis obtemperare solebas, sed tibi etiam ipsi cogitatione recti & honesti quasi stimulos admouere, vt ille leo Homericus:

*οὐρητε πλευρὰσ καὶ ἰχία ἀμφοτέρωδε
μασίεται, ἔδ' αὐτ' ἐποτρύνει,*

De quo præclarè idem poëta ait:

ἐνδέ τε οἱ κραδίη σένει ἄλκιμον ἦτορ.

Nam vbi non est in rebus bonis & grauibus ea cura, qua cor angi, & mens contrahi se sentiat, cum non amplum illud pectus generosi animi, quasi comprimatur,

tur,

cur, ita gestit se se efferre & suas vires experiri, ibi nunquã vllæ magnæ & memorabiles pugnae, nec egregia certamina virtutis eduntur. Sed iam dudum euagari orationem nimis longe animaduerto. Quare redeo ad mentionem huius libelli: In quo ea exponuntur quæ sunt illa quidem puerilia, sed in pueris si forte neglecta sint, cognoscenda profecto etiam à grandib. & adultis. Atq; erat animus hæc noua quadã appendice augere, sed negocijs improuisis in editione occupato, cum pituita quoque mihi admodum esset molesta, hoc in præsentia consilium exequi non licuit. A dieci tamen sententias quasdam olim à me conscriptas, quæ canquam ab autoribus sapientib. ijs, qui ita in Græcia nominati, & septem numerati fuerunt pronunciarentur, productis ad hoc veluti in prosceniũ quoddam puerilis spectaculi, quod & ante ab Ausonio factum esset, sed absq; hæc dictorum & sententiarum, siue vt melius dicam Græce γνομῶν copia. Hæc tu mi Vilhelme & à me libenter accipies, & cum ipse leges, tum, si videbitur, propones etiam principibus tuis, in ista ætate ipsis quoque non futura indigna, & tibi persuadebis, te mihi merito obseruatiæ erga

Cum non auferretur hæc opuscula

te multo carissimum, neq;
æ quidem præstari possit,
tibi studium meum. Va
lipfæ, X. Calend. Iunij.
Anno Christi I E S V,
1 5 4 4.

IOACHIMVS CAME
RARIVS VILHELMO ME-
gala amico. S.

Qua adhuc nostra quæ res atate, Vilhelmè
A quoero mihi care, ac primis protinus an-
Et studio mei & mihi pectore note fideli, (nis
Damna multiplicet sperataq; commoda tollat,
ascensiq; premat doctrinae lumen, & artis
Ingenuæ studium, & Musarum euertat honorem?
An tibi nondum etiam liquet horum causa malo-
Qui Teutonicis solum peregrinus in oris (rū,
Hospes sed quoq; in Ausonia regione fuisti.
Scilicet haud te credo fugit quæ secula nostra
Exagitet rabies, furysq; exasperet orbem,
Obijciens odium veri, extinctoq; pudore
In seculis impellat brete pietatis, & illud
Aeternum non esse finat venerabile nu. ven.
Iamq; vel in veteres referuntur pect. ensus,
Atq; mala errorum repetunt comment. priorum,
Aut

Aut velut explosa iam religione soluti.
 Inq₃ nefas animi inq₃ ruunt heu dedecus omne
 Ille igitur veri contemptus, quo male sana
 Temporis atq₃ ignara Dei huius vita labor
 Ac potius correpta perit ceu febris ab igne
 Tristia cuncta vehit secum ceu flumen dans.
 Hinc & debilitata iacet pietasq₃ fide q₃
 Iustitia & terras iterum violata relinquit,
 Atq₃ doli creuere, & amor sceleratus habendi.
 Est & amicitia nunc plane nomen inane,
 Ridicula & moderatio nunc res esse videtur.
 Ambitio viget, & regina pecunia mores
 Et leges & iura domat. Vis esse beatus
 Inprimis, dulcemq₃ ante omnia degere vitam,
 Subijce te virijs, atq₃ assentare potentum.
 Felix forte, loco sed si cupis esse secundo,
 Obrectare bonis studeas, reprehendere cuncta.
 Ignorata tibi & virtuti aspergere probra,
 Et struere insidias placidis, defendere fontes.
 Tertia erunt his desperatis premia, nulli
 Qui fidum praeberere velit se, seuus, & in re
 Instabilis dubia, & nulla tractabilis arte,
 Vt quod Chiro tuum cacoëthes nominat vlcus,
 Quodq₃ tuum medicus Mysorum Telephe ductor.
 Hoc ter terna Iouis redeat si tempore proles,
 Si citharam in medio Musarum tangat Apollo
 Ipsa Minerua professa suas si proferat artes,
 Ad nummi auertet tinnitum atq₃ arriget aures
Humanum genus, et quauis lucrum expetet è re,
 Lauciasq₃

Lauticiasq; dapum sectabitur, & male luxu
 Non observatos vitæ brevis obteret annos,
 Quid, quod & insanis ardet discordia rixis,
 Et ferro ac flammis toto furit impia mundo,
 Hinc Getico strictū gladium intendente tyranno,
 Illinc occiduis Graduo tractibus enses
 Exacuate, oleumq; incenso addente camino.
 Hos igitur mores inter vitæq; tumultus,
 Distractisq; animis placitorum in mille figuras,
 Quisq; suæ sequitur dum iussa cupidinis, & dum
 Turpe quod est nō esse magis iam turpe putatur,
 Artibus haud locus esse bonis, haud cura pudoris
 Vlla potest, agitur vitij extorris honestas.
 Sed longæ finem, dilecte Vilhelme, querelæ
 Ut faciam, ætatis præcidens crimina nostræ,
 Sic perturbatis quod profit rebus utriq;
 Subijciam, & soboles amborum parvula discat,
 Ut nostræ utilibus claudatur epistola dictis.
 Nos igitur vero studeamus numen honore
 Diuinum & cultu venerari quo iubet ipsum,
 Vnius illud adorantes in nomine Christi,
 Quod solum in terra ac cælo conferre salutem,
 Et nihil extra illud valet, atq; deinde modesto
 Et facili erga omnes animo esse velimus, ut æqui
 Iusticiæq; tenax pectus sit, & haud vitari
 Se memor aut respectu odij aut patiatu ramoris.
 Siq; frui volumus non paruo tempore partis,
 Per sint parta nefas caueamus. Nam male parta,
 Ut vetus est verbum, male dilabuntur. Ut autem
 Spreta

Spret a iacet saepe & virtuti obtrectat egestas,
 Sic insons praestat scelerato diuite pauper.
 Ne placeat nobis vnquam assentator amicus,
 Qui metuat verbis praesentem offendere, quiq;
 Ore leui vitiosa probet. Vitentur & illi
 Qui gaudent alijs maledicere: gratus & vsus
 Sit nobis capitum, in qua sparsit longa pruinas
 Annorum series. Nunquam & nos dulcia fallant:
 Nam qua praeteriere sat inclusere malorum,
 Quorum facta fuit per Christum gratia nobis.
 Et plerunq; voluptatis brevis est dolor ingens.
 Ac ita quicquid erit patienter ferre labores
 Mens non aduersis humilis, non leta secuntis:
 Atq; bonam cunctis foueamus temporibus spem.
 Quamuis sollicito metuamus tristia corde,
 Sortis & in trepido toleremus pectore casus.
 Hac alienarum in strepitu me scribere iussit
 A studijs nostris rerum, nec sensibus apta,
 Nec verbis, ornata erga te summa voluntas,
 Atq; Vilhelme tui studium. Tu, quod facis, auge
 Nominis & fame decus, & retinere memento
 Perpetuo propensum animum in nos atq; fidelem:

C H R I-

CHRISTOPHORVS
COLERVS IOANNI COLE-*ro fratri suo carissime,*

S. P. D.



I FRAT. QVAM
 grauit̄er afflicti simus ca-
 lamitosissimo casu mortis
 paternae, vides. Orbati
 enim sumus non solum pa-
 rēte, quod ipsum ad sum-
 mum dolorem satis esse
 possit, sed eo parente, qui
 excellens virtute atq; sapientia nihil omitteret ad
 etatem vitamq; nostram educendam ad decus
 atq; laudem. Hæc tamen minus hac infirmita-
 te animorum nostrorum perspicimus, sed illam
 suauitatem, qua etiam alieni alliciuntur, qua no-
 bis ille in eximio amore erga nos suo iucundissimus
 fuit, necesse est nos cum largissimo fletu et ingen-
 ti mœrore requirere, In quo eo est maior tua mi-
 seria quam mea, quod ipse vidisti morientem, ego
 audiui mortuum, & tu in illius complexibus hæ-
 sisti semper, à quibus ipsius cura & benignitas me
 dudum remouerat. Nam mihi ad omnem nunc
 quoq; non modo mentionem, sed cogitationem pa-
 tris amissi lacrime oboriuntur, qui tamen iam
 me assuefeceram, vt abesse ab illo posse mihi vide-
 rer, cum quidem absente patre non carerem, sed
 quodam

quodam hoc ablegationis beneficio illius me frui
 intelligerem. Mihine enim hic merus in animo
 esset infirmo & puerili, qui neminis omnium at-
 tigit, mortis in hac etate, vita, valetudine illius?
 Sed mi frater beatissimi patris nostri mortem de-
 flere omittamus, & ad illius potius imitationem
 nos comparemus, cuius singulare habemus exem-
 plum virtutis atq; etiam doctrina, quibus quan-
 tum praestiterit reliquis, ut nos iudicare non possu-
 mus, ita libenter audimus utiq; predicari ab ijs
 qui possunt. quod si non modo paternae laudis a-
 croama iucundum nobis fuerit, verum huc quoq;
 voluntas accesserit nostra, non solum propagandi
 generis nostri, in quod ab illo sumus procreati, sed
 etiam exprimenda laudis, qua ipse excelluit, tum
 demum responderimus spei & expectationi illius.
 & mortuum quoq; voluptate praecipua affeceri-
 mus. Quare mi frater hoc agamus, huc conten-
damus atq; enitmur. Si non consequi possimus,
 ut aliquando leuemus desiderium civitatis no-
 strae, quod illi moriens pater sui reliquit, at hoc
 vincamus, ne illo tali patre indigni fuisse videa-
 mur. Mihi quidem eo minus venia locus, quo me-
lius à nostro patre mihi prospectum: cum ille me
 in optimi viri sanctiss. disciplinam tradidit atque
 commisit. Quem haud scio an affixerit nuncius
 hic vehementius quam meipsum, quo magis &
 bona patris nostri ipsi nota fuere atq; intellecta.
 Ut autem perspicere posses qualia nobis ab illo pro-

B pone-

ponerentur, & huiusmodi istic quoque imbui præ-
 ceptis, visum est ad te cum hac ipsa non tam tui
 quam mei cohortatiuncula, mittere quadam, no-
 stri magistri dictata, quæ mihi, siue quod ætati
 huic maxime conueniant, seu quia sunt paulo di-
 ligentius elaborata quam vlla quæ in hoc genere
 cognoui, permagnificatio: meoque iudicio tibi nisi
 non vile neque contemnendum munus, quod tu mi
 frater ita amplecteris, vt & explicare moribus,
 & me diligere, & operam dare velis, vt nostram
 matrem nunc quidem, vt par est, tristissimam
 foeminam, morigeratione & officijs omnibus ob-
 lectes. Hoc nos facere maxime vult pater noster.
 Istud etiam scriptum cum nostro Paulo commu-
 nicabis, quem non modo talia nunc legere, sed eti-
 am intelligere par est: Nihil esse virtute pulcrius,
 nihil honestate amabilius, nihil decore speci-
 osius neque præclarius. Vale Tubin-
 gæ Sueuis, XV. Calen.

Iunij.

PRAE-

PRÆCEPTA VITAE PVERILIS.



MORVM PRÆCE-
ptiones et vita qui negli-
gunt, ij ne literis quidem
vnquam bene instituunt
puericiam. Quis enim cre-
dat in hac esse parte dili-
gētes, in illa longe potiore
altera desides atq; socor-

*Paulus Vind. Vn.
In Xim.*

des? Sed ne institutionem talem calumniari vi-
deamur, cum plurimum hi literatores proficiunt,
quid fiat videamus. Nam fore inducunt in ali-
quam linguæ Latinae vel etiam Graecæ, cum præ-
clare cecidit sententiolam, ulterius enim ab hac
ætate procedi non potest. Atq; hoc ipso opere sua
quam pueris erudiendis dederint precium quod
sit, se fecisse existimant. In quo non mediocris error
inest, quod eruditione non tam linguæ quam ani-
mi informata tenella ætas ad doctrinam atq; vir-
tutem capessendam idonea esse soleat. Neque hoc
agendum, vt solum belli locutores, sed etiam
actores boni vitæ existant: quinetiam illarum lin-
guarum sermo, nisi morum atq; honestatis totius-
que virtutis rationem atque disciplinam tradere
posse crederetur, nunquam tanti fieret, vt in illo

B 2

perdis-

perdiscendo tantum temporis tantumq; laboris atq; sumtus impenderetur. Ut autem omnium artium sunt quaedam initia seu potius progressiones, sine quibus ad illarum cognitionem perueniri nequeat, quae tamen ipsae artes non sunt, ut in Grammatica cognitiones literarum: in Rhetorica ea quae primae exercitationes nominantur: ita artis vitae ac morum quasi vestibula quaedam putanda, ea quae ciuilitas & elegantia, seu moderatio dicitur. Decus plane ipsum & pulcritudo virtutis, quae tanquam flosculi in puerili aetate & magis eminent, & suauiores esse consueuere. Huius partis, quod pauci didicerint, minime est his temporibus vulgaris ac vsitata doctrina: quam breui scripto complecti visum est, ut in hac quoque consulatur studio meo ciuibus meis, qui rusticitatis nomine ab antiquo reprehenduntur. Erit autem hoc pro indice faciendorum fugiendorumq; bonae indolis pueris. Ipsa. n. res non poterit nisi quotidianis monitis ac animaduersionibus perfici, praesertim in quadam non parua diuersitate rei, loci, temporis, gentis, persona, quib. non solum precipiatur ipsis, sed quo praecepta etiam referantur & accommodentur. Duplex autem fere est puerilis institutio. Vna in literis ac vitam placide inq; ocio ac quiete degendam, cum cultu virtutis & innocentiae, quomodo per pauci sunt, qui suos liberos educi velint. Requiritur autem, ut verum fatear, in hac parta iam quasitaq; res, quae vitae sic, quemadmodum

In pueris pueri:
his de pueris.

dum dixi, degendē sufficere posse videatur. Quae si forte copiosa amplaq; non sit, sufficiant tamē optimis imbuto praeceptis temperantia, parsimonia, patientia. Sed quoniam his temporibus virtus & honestas neq; magnifici neq; valde speciosa videri solet, propterea quod potentia & opes, superbi-
 atq; harum affectatrix corroborata equabilitatem atq; modestiam oppressit, ideo ut dixi paucis, neq; ut vulgus aestimat, sed vere beatis, relinquenda est haec institutio, neq; tractanda in praesentia. Altera est iuventutis, ad vitam communiter & pro seculi sui natura agendam: in usurpatione honorum atq; publicorum munerum, tam in civitatum quam religionis administratione, itemq; quasi artificio ac questu quodam scientiarum: quae tanquam inter illam directam ad virtutem viam, & deflexam alteram ad vitia, media est interiecta, qua ingredienti plurimum laudis & utilitatis cum sibi tum suis, sed & alienis conciliare consuevere. Neq; hominum communi iudicio quicquam praeterea quam huius viae ingressio approbatur. In qua qui processere longius magni & praecelari, qui segnius, mediocres quidem, laudabiles tamen & ipsi habentur. Sed fuit tempus, cum studia literarum ad ridiculum quendam deprauata modum, non solum non erudirent cultores suos, sed naeta saepe non infelicia ingenia corrumperent, vnde est factum ut iam probro ab intelligentioribus verteretur studuisse literis. Neq; vlla res alia

studiorum illam miseriam defendit et continuit, quam stulticia hominum atq; fatuitas. Quicquid enim esset id quod è scholis emanaret, inueniebat protinus vbi resideret. Neque fuit illis seculis melior neque expeditior quaestus, quam hic miserorum & inanium studiorum, quo crimine etiam nunc vrgetur vera eruditio, quia à paucis perspicitur, cum barbaria turpitudine manifesta sit omnibus. Multi etiam inueniuntur, qui modestiam, verecundiam, pudorem, cum non possint non custodire studiosi bonarum artium, contrarias esse res putent vitæ utiliter agenda, in quo ferociam, audaciam, impudentiam plurimi fieri intelligunt. Qui quidem sunt, siquidem videbuntur boni viri esse, exorandi nobis, ne presentis temporis falsam quandam speciem utilitatis plus apud se, quam rectam & constantem rationem valere patiantur: Sin erunt, quales multi sunt improbi, scelerati, audaces, facinorosi, tanquam feras bestias declinemus, iustissima in desperatione, castigari oratione aut meliores reddi posse. Nostrorum autem studiorum castitatem tanquam pudicæ virginis magna cum cura custodiamus, quæ si habemus reducta ad veritatem ab illis superiorum temporum erroribus, anniti debemus vt omnibus modis integra & sincera conseruemus, neue committamus leuitate nostra vt vllius turpi cupiditati ancillentur. Cum autem varietas maxima sit in vitæ humane generibus, videri alicui possit educatio-

NUM

num etiam discrimina tenenda esse, sed hoc aliter se habet: puerilis enim institutio vniuersi modi est & simplex, quamuis exeat in non vnum modum vite. Sicut athletarum cibus idem & corporis cura vna proponeretur non ad eadem certamina, cum alij luctatores, pugiles alij, alij pancratiasta, nonnulli quinquertiones euaderent. Non igitur metuendum ne parum aptus futurus sit puerilis animus vera ratione literis ac moribus institutus, ad quamcunque professionem & artem faciendam. Et vbi primum adolescere & quasi confirmari ingenia aetate coeperint, ad cuius visum fuerit professionem artis, aut cuiusq; generi vite puerum applicari oportere, cum eorum sententia, quorum potestati erit subiectus, tum de ipsius natura ac indole, eo etiam per haec communia studiorum & vite praeccepta sensim adducemus. De quo quidem differere praesentis instituti locique non est. Atq; his explicatis, nunc quae discenda faciendaeque ingenuo puero de praecceptis bonarum artium videantur, subiiciam: vt, quemadmodum initio dixi, sit quasi pro indice hoc scriptum eorum, quae omni tempore studiorum suorum, ex libellulis suis & dictatis magistrorum cognoscenda & percipienda pueri sibi sciant. Ac primum de discendo, qua voce studium literarum accipi volo, dicam. Diligenter & attente audient pueri praegentem magistrum, & assuefacient ora sua ad veritatem lectionis & pronunciationis

licet, saltem
cursu dicitur pueri
gilatin.

propter de
moribus in
discendo.

primum
praecipiendum de
audiendo et
dimitto f. le
quentem magi
strum.

B 4

cum



cum literarum, tum syllabarum atque dictionum
 ad exemplum praelegentis. In hoc praecipuam ope-
 ram ponent, ut quoad eius fieri possit, vernacula
 lingua & oris vitia corrigantur. Quae iussi erunt,
 siue ex libro recitare, seu reddere memoria, ea
 dabunt operam, ut liquide, distincte, clare pronun-
 ciant, non obruentes alias voces alijs, neq; confun-
 dentes textum lacerantesue filum orationis. Inpri-
 mis cauebunt, ne ultimis, id est, terminalibus syl-
 labis literisq; dictionum debiscente palato, sonus
 intercidat, quo peruersius fieri quicquam neque-
 at. Accidit autem hoc plerunq; pueris metu erro-
 ris, cum non comprehenderunt certas inflexio-
 nes vocum, quare erit hoc proxime à lectione ela-
 borandum, ut bene & diserte omnes voces, quas
 terminantes syllaba in alios atque alios fines de-
 clinantur, flectere pro vniuscuiusque natura di-
 scant. Cum haec fecerint, simul etiam describere
 ipsi & effingere literas tentabunt, & easdem syl-
 labis intexere, syllabasq; ipsas dictionibus comple-
 rent. Interea si quid proponetur Latina scriptura,
 qua sententia memorabitur, si vox exponetur
 interpretatione magistri, notabunt diligenter
 cum intelligentia sua apprehendentes, tum exci-
 pientes chartulis suis. Neq; vlla res assidentem
 puerum in ludo magis ornat, quam proposita
 Charta & in dextra eminentis pennula. Nisi au-
 tem erit iam statim in puero animus discendi cu-
 pidus, & quasi suspensus de voluntate magistri,

non

II præceptum de
 li. legentibus ad
 bi. legentibus primis
 ti. uocis.

III præceptum de
 a. rione scribendi
 b. effingendi literas
 c. rati.
 III præceptum de
 industria exi. p. si
 rudi. cartulis
 p. u. p. u. m. h.
 r. el. d. l. i. g. e. n. t. e. r.
 X. i. p. e. r. e. q. u. i. m. o.

non vagus cogitationibus, non aliud agens, haud
 unquam bona mihi spes fuerit laudabilium in stu-
 dijs progressionum. Ut enim statim vit vitica &
 cancri retrocedunt, & echinus asper est, ita pra-
 uitas ingeniorum etiam in teneris non esse occulta
 solet. At ille, ut Virgilius canit,

Echinus

Continuo pecoris generosi pullus in aruis
 Altius ingreditur & mollia crura reponit.
 Primus et ire viam & fluuios tentare minaces
 Audet, & ignoto sese committere ponto.
 Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
 Argutumq; caput, breuis alius, obesaq; terga.
 Luxuriatq; toris animosum pectus.

Similiter & egregia statim in pueris indoles elu-
 cescit & secundum honestatem sese incitat. Non
 autem placent mihi quidam procaculi & animo
 ac ore faciles ac prompti, praecpta magistrorum
 non sequentes, sed anteuertentes audacia sua. In-
 telligi enim volo nihil laudabilius neq; melius ad
 spem bonam in puero esse verecundia: que sit
 tanquam fundamentum virtutis. Absq; hac si quis
 in literis ad frugem peruenit, inter rarissimos ca-
 sus numerauerim. Est autem puerilis aetatis pro-
 pria commendatio verecundia & pudoris, sicut
 virilis constantia, senum grauitatis. Puer quidem
 qui vereri nesciet, nunquam faciet officium suum.
 Sed redeo ad rem propositam. Memoria qua pra-
 cipientur mandari, ediscentur cum diligentia, non
 temere corripientur. Ita & animi hac pars recte

Verecundia pue-
 rorum
 Conspicua Vir-
 tum.
 Grauitas, somnia
 propria.
 U praecipuum
 de indolentia in
 ediscendo
 Utilitas hoc

utilitas B S exer-

T

ii *Utilitas* exercebitur, & qua praecepta fuerint poterunt
 retineri. Praecipuam vero sentient utilitatem, si
 non modo autorum certos locos aut textum scri-
 ptorum, sed etiam interpretationem à magistro
 accommodatam memoriter recitare posse didice-
 rint, hoc memoriam mirifice exercet, & intel-
 ligentiam excitat, & illam negligentia innaſcen-
 tem ſocordiam excutit. Cum iuſſerit magiſter
 ſententiam aliquam in Latinum pueros conuertere,
 pro ſe quiſque annitetur, ut quam belliffimo
 abſoluat penſum ſuum, neque operas conſerent,
 neque doctrinulas ſuas inter ſe quaſi mutuabun-
 tur. Nam debet magiſtro, ut vniuſcuſque in-
 genium, ita quantum quiſque proficiat quoque
 eſſe notum: Ut autem dicam breuiter vniuerſa:
 Recte ſe gerent pueri, ſi verſabuntur in ſtudijs ſu-
 is cum diligentia & cura, abſque calliditate et ne-
 quitia. Quid ego curare quod agendum ſit eum
 putem, qui ſedeat poſt libellum, caput manu ſu-
 ſtinens nixa cubito, qui ad omnem ſtrepitum
 vocem, ſibilum, oculos, caputq; circumagat,
 qui muſſitet aliquid, inhiet parieti aut tecto, oſci-
 tet, tantumq; non & ſtertatur? Summa igitur eſt
 in hoc, quod dixi, cum diligentia & cura ver-
 ſari in ſtudijs. Et quod addidi, ſine calliditate &
 nequitia, propter improbos & veteratores quos-
 dam pueros, qui quaſi alea ludentes, nihil agunt
 ſimpliciter, aperte, fideliter: neq; vnquam niſi
 metu ſuum officium faciunt, à quibus vitijs abeſſe
 oportet.

utilitates.

vi præceptum
de Exeritioſtyli.

Ratio.

Concluſio.

6 ſigna ignanti
Scholaſtici

ii ſign.

iii

iv

opor-

oportebit eos, qui spem facturi sint magistris frugis bonae. Dixi de studio, superest ut morum praescripta persequar. Nemo fuit unquam veterum, qui vitae praecepta daret, qui non à veneratione & cultu numinis diuini ordiretur. Quod eo magis custodiendum nobis est, quo certiora de diuinitate omnia nos habemus.

*Præcepta
de moribus*

Principio igitur casta mente Deum pueri colere & adorare discant, Libenter audiant quae pietatem erga illum instruere & augere possint.

Hac qualia esse debeant, magistri iudicium & cura fuerit. In sacris concionibus libenter, sedulo studiose aderunt. Inter ceremonias, ritus, operationes sacrorum, astant verecunde & composito ore ac quieto vultu. Deum dum maxime aspicere ad se arbitrabuntur, coramque illo se astruisse. Precibus operam dabunt, non in cœtu solummodo & consuetu hominum, sed etiam ubi soli erunt. Harum formulas praescribent magistri. Secundum Deum obseruabunt venerabunturq; parentes suos, & si quibus par debetur reuerentia, ut sunt cognati & consanguinei, & illi in quorum tutelam forte venerunt aut dati sunt, & quibus ad virtutem educandi commissi fuerunt. Hos vel verbulo offendisse pro piaculo ducunt. His parebunt monentibus, non irascentur, si quando ita poscente re castigauerint. Ut autem, quemadmodum Horatius ait:

Nemo adeo ferus est qui non mitescere possit.

Si mo-

Si modo cultura patientem commoderet aurem :

Sic opera omnis quae in refragantibus istis castigatiōni & indignantibus monitioni & contumacibus sumitur, perit. Optandum quidem, instituendum bonis artibus ac moribus eum contingere puerum, quem verba moueant. Nam vere dicitur, vix vnquam plagis meliorem fieri, qui verba non corrigatur. Si tamen, vt nostrorum hominum magna est feritas, verberibus vsus indigere videbitur, non patientur ea magistri requiri, quae inflicta sic debebit aequo animo ferre puer, vt tantum caueat, ne quando iterum merito sustinenda sibi sint. Proximus ab his, quos diximus venerationis debetur senibus locus: qui & aetate sunt parentibus proximi, & adolescentiam exemplis & doctrina instruere possunt. Erga alios autem cunctos gerent sese placide, mansuete, verecunde, non procaciter, ferociter, impudenter, in primis cum aequalibus suis amabiliter versabuntur. Thracica haec est disciplina, cohortari pueritiam ad detrectanda imperia, referendam vim atque iniurias, reclamaciones, repugnandum, vltiscendum, quae cultu Musarum, sicut est, alienissima habenda. Quid ego moneam de mendacio, perfidia, maledicentia, odio, calumnijs vitandis, quae etiam in adultis abominantur? Quod si quis ita malus fuerit natura, vt his vitijs immedicabiliter laboret, eum e cœtu studiosorum tempore submouendum censuerim, ne tan-

Mos apud Thra.
Cm

ne tanquam vna morbida ovis totum gregem inficiat. Si quem puer equalium suorum intelligit se doctrina aut exemplo instruere posse, illum praeteris diligit, colet, complectetur, studebitque eius intelligentia doctior, & ductu melior reddi. Turpissima res est impudentia, sed in pueris praecipue, quos convenit & ore, & lingua, & animo pudentes esse. Non igitur intuebuntur toruum aut immane, sed oculos saepe demittent. Aspicient libere non audacter. Non petulantes, garruli, litigiosi, non contumelioso sono orationis, non peruicaces neque temerarij. In stando habitum corporis conseruabunt decentem & rectum. Ante se manus, pariter pedes, os rectum tenebunt. Omnino loquentur pauca, sed praesentibus natiu maioribus, aut dignitate & genere praestantibus, paucissima. Secundum Epicharmi preceptum ἀλλὰ σιγῆν ἔσ' ἀγαθὸν ὄμμα παρῆεντι κἀεῖρες, id est, Est bonum silere, quoties forte adest potior aliquis. Et rectissime dicitur, non sepe nocere tacuisse: nocere saepe locutum esse. Et Teutonice lingua laudabile esse silentium, sed laudabilius loqui, si quis bene & recte sciat. Quod in pueris vix euenit vnquam propter imperitiam & infirmitatem mentis. Loquaculi igitur fere & vani sunt, etiam cum ille promptus sermo aliquid habet quasi elegantiae: suntque similes linguaces, ut sic appellem, isti, solstitialibus fuscis, qui repente exoriuntur, repente occidunt: haud enim fere perue-

VI.
VII.
Impudentia
Signa
nihil
Ore
Statione
manu & pedibus
VIII. Taciturnitas
Doris pro ore
nihil
Sunt
IX. Vanitas
Logiaculi
Simile

perueniunt ad bonam frugem. Si quis aliquem rogauerit puerum, respondebit ille tum demum cum finem dicendi interrogator fecerit, non interrumpet sermonem. Respondebit autem non temere neque subito, sed cum ea, quam aetas haec fert, cogitatione atque modestia. In vniuersum quidem cogitatio exquisita huius aetatis nulla: Quaedam tamen attentio est earum rerum, quarum praecepta & doctrinam perceperit. Nimirum quidem & quasi senile quiddam sapere pueros, ita est ingratum, vt etiam auersari soleamus, & odisse senili pueros sapientia. Sed non tamen ferendi sunt omnia temere dicentes atq; facientes. Cogitabit igitur hoc saltem puer priusquam quicquam dicere facereue incipiat: num laudabile id sit, atque hoc de praeceptiunculis magistrorum suorum exquiret. Si laudabile esse inuenerit, aggreditur, & quidem confidenter. Sin contra, refrenabit incitatum cupiditatem suam.

Si vero dubitabit, tantisper continebit se, dum quid recte fiat constitutum certumque habuerit. Qui enim ad omnia feruntur, vt quidque subijt animum & cupiditatem, nunquam non peccant: etiam cum forte non vitiosissime cecidit quod egere. Nam in hoc ipso culpa est, quod fecerunt temere, etsi vix vnquam quae hoc modo suscipiuntur recte fieri solent. Decet & honorem praefari, & gestu significare reuerentiam, cum persona eius qui colloquetur merebitur. Haec sunt
apud

apud alios atq; alios aliusmodi. Apud nos & nudari capita, & modice flecti genua, & appellari domini, vel etiam cum appendice venerabiles, clementes, magnifici domini, consuevere.

Turpe est astantem diuaticare crura, turpius crebro mutitare aut contorquere: Sed & manus ociosae esse debent, siue quid illis tenetur, seu vanae compositae sunt. Has pectinatim inter se complicare ominosum vulgo creditur, certae tristitiae animi est indicium. Non laudo mentum affigere pectori, & nimium deiectis humi oculis consistere.

Multo melius verecunde intuebitur colloquentem puer, nisi aliqua illius oratio pudorem & erubescientiam efficere debeat. Incuruare collum, indecorum est. Ansatum, vt Plautus dixit, astare, & ingredi militari gestu non decet: crebro circumspicere & incedendo se conuertere, multo minus, id quod & Spartiatarum disciplina fieri passa non est. In sedendo similiter & pedes & manus ociosae erunt nisi cum in accubitu ad mensam cibus capietur.

Non contrahentur humeri, neque gibbo tergum deformabitur, quod a prauis fit, neque oblique collum detorquebitur. Quid ego autem pedores, ructus, sputa prohibeam, quae nulla anus rustica fert in suo filio: Sed agendum si quid erit pueris, siue suarum seu aliarum rerum, vt quibus forte ministeria incumbunt: annitentur vt fiant omnia strenue, accurate, paulatim, graui-

*ausatim
ansatum*

grauius, non oscitanter, negligenter, praeposte-
 re. Inseruiant omnibus libenter & studiose, ala-
 critate animi & facilitate maxima: habet enim
 hoc eximiam in pueris laudem. In his potissimum
 & segnicies & festinatio est vitiosa. Videas enim
quosdam somniculose omnia, quosdam concitate
& turbulente dicere atque facere. Inter haec me-
 dum, ut semper, laudatur: Quo non decus so-
 lum praestatur, sed utilitas quoque, nam & negli-
 gentia & festinatio nimia, fere detrimetosa esse
 consuevit, Quocumque manus proferentur, eodem
& oculi intenti sint, quod a stolidis istis & furi-
 bundis fere non modo cum dedecore, sed etiam
 damno negligi cernimus. In ministerio nequeunt
 vniuersa quae faciunda sint enumerari: ex his
 autem generalibus praecipionibus facile perspici-
 entur a non proorsus deplorati ingenij puero. Sed
 cum cibum capiunt pueri, multum dedecoris ad-
 mittitur a non bene institutis. Docent autem
 hoc matres etiam, non ingerendas in patinas ma-
 nus a pueris, praeruentibus in esca sumenda ali-
 os potiores. Moris etiam est Teutonicis pueris &
 faeminis, cibum praesertim paulo lautiozem ex
patina acceptum alijs super orbiculis apponere.
 In quo genere innumerabilibus quosdam festiui-
 tatibus studere videas, sed sunt pleraque mulie-
 bria. Hoc igitur facient pueri, ut retineant quod
 ante ipsos appositum fuerit, nisi plus sit quam ut
 sine crimine voracitatis absumturi esse videan-
 tur,

tur, Quod si accidet, desecabunt aliquantulum, apprehendentes manu particulam quam ipsi edant, reliquum confixum cultello reponent, aut ante illum à quo totum acceperant, aut si orbem illius occupatum videant, alteri proximo, aut in patinam referent. Nisi pisces forte appositi sint: horum enim particulas scindere aut configere vitiosum putatur. Reliqua non videntur digna, in quibus observandis pueri desudent, propria muliercularum & ineptiarum aula. Inter edendum cauebunt ne quid ore excidat: ne turpiter & inflatis buccis mandant cibos, neque plus iusto in os semel infarciant. Non properabunt comedendo, cibos bene conficient dentibus. Interea cauebunt ne labris neque dentibus sonitus aliquid emittant. Fœdum est fodiendo eximere cultellis si quid forte intra dentes adhaeserit. Calidiusculas offulas & iuscula non afflabunt vehementer, & tanquam è folibus plenis buccis. Sunt qui ad omnem etiam leuissimum nisum sine causa anhelant: sunt qui etiam assidentes obstreperum quiddam de naribus spirant, quæ vitiosissime fieri putandum. Labra continebunt cum cibus mandetur, neque sinent hiare. Lingua quasi expurgare interius dentes ac palatum, & buccas lambere fœdum est, fœdus exterius labra.

Commedant sane si esuriunt, neque dubitent modeste & decenter capere cibum quicumque affuerit: recusare enim oblatum & simulare satietatem,

C

stolida.

stolida est elegantia. Ingurgitare vero, ut ita di-
 cam, vel quemadmodum Plautus, *ambabus malis*
expletis vorare, rusticum. Potu sedetur sitis, non
 inundentur guttura ac ventres. Videas quosdam
 sic bibere ut spiritus excludatur, quibusdam la-
 crimas extillari, quo quid possit magis contra-
 rium accidere bonis moribus? Similiter prope-
 rando committere, ut aliquid potus effluat ex
 ore, indecorum. Cultelli propter orbiculos re-
 positi, cum usus poscet, scite manu capientur re-
 ponenturque in locum suum, non iactabuntur di-
 gitis. Videas quosdam sic capere, ut quia non
 quadrent sectionibus impingant manubriolum
 in mensam, & aptent sectionibus prehensionem
 cultelli, quod fit magna cum turpitudine. In pati-
 nas vero praemorsum inserere, & in ijs cibum
 ante se coaceruare longe turpius. De totis pani-
 bus tantum decident, quantum volent edendo
 absumere: nam fragmenta relinquere, vitiosum
 est. Ossa spinasque & quicquid edi non potest
 aut solet, in summo orbiculo bellule component.
 Omnino autem refragari natu maiorum iussis,
 quod vulgo laudatur, non debent, sed illis pare-
 re cum pudore. Nam quae haec fuerit disciplina,
 recusatione sua puerum improbare grandioris
 voluntatem, aut illo se prudentiorem intelligi
 velle? Sed inquit dare hoc moderati animi si-
 gnificationem, quod falsum est: simulata enim
 ista sunt & ficta. Quare & locum quem gran-
 dior

Quamquam pa-
 riter decident
 da in:
 Reliquiae quo
 hinc ponenda
 Nam maioribus
 mo vigorandum

Quo sedendum

dior natu assignaric, capient verecunde pueri, non volent se retinentes attrahi, & cibum sument, & quicquid dabitur, gratiamq; agente paucis. Volo enim simulationes à puerili ingenio abesse. Fieri fortasse quidem possit, vt in hac vsitata vulgariq; inscitia alicubi in vita & conuictu hominum recte adhibeantur, sed hoc erit prouectorum etate & non imperitorum iudicium. Valde autem prodest cum hac in parte, tum omni vita instruenda; proponere sibi aliquem cuius vitam moresq; probare sciamus, quem imitari & sequi, cuiusq; similes esse nos velimus. Pariter & rusticos ac aberrantes à decore vitæ & morum intuebimur, & studebimus deformitate quam in illis animaduertimus carere. Hoc præcepto nullum in genere melius neque vtilius dari potest. In reliqua vita vanitas & leuitas aberit. Neque oculis neque auribus aliena captabuntur. Ex quo genere furaces non verbis modo, sed etiam supplicijs coercendi. Istis vero curiosis, & auscultatoribus & inhiantibus ijs quæ dicuntur & fiunt: nemo est qui non merito iratissimus esse soleat. Leuitatem enim animi sui produnt, & sua negligunt, & cogitationis curam futiliter impendunt. Non volent vnquam pueri deprehendi in aliquo opere aut facto, quæ pœnam mereantur. Itaq; non fugitabunt obuios, aut latebras quaerent, aut oculis conspectuiq; venientium se sub-

Vnquam sibi aliquid imitari: alium de ligno de bar.

Non omninoq; ad res adhibend.

Non designant de arte fici

De vestitu
corporis

De calceis
ponendis

De mundicijs
membris
externis

De ludicrijs
moderoc.

ducent. Hæc enim formido ex animo peccati sibi conscio nascitur. In vestitu & cultu mediocritas & mundicies hanc atatem imprimis decet. Vestimenta igitur comparabuntur pro consuetudine & more presentis temporis & vsus. Nisi in his ita inerunt vitiosa quæpiam, vt non ferenda esse videantur. In quo genere sunt hæ lacerationes, & varietates vestium, & ista consecta, dissipata, religata, neque vsu commoda, neque specie pulcra. In calceis vincula semper, aut ipsi ita facti erunt, ne de pedibus delabantur. Vestimentorum autem quicquid erit, sordibus & luto careat. Capilli mane pectantur, lauentur manus & os. Immundo puero nihil esse odiosius potest. Fætores & mucos intolerabiles fere omnibus propter nauseam esse solere scimus. Similiter & sputorum fæditas & pustularum ab oculis hominum remouebitur, cuius offensio ingens esse consuevit. Reliqua omnia erunt, vt semel dicam, decora, status, sessio, incessus, compositus vultus, mites oculi, pressa labra, nihil contortum, nihil sauum, nihil inflatum, status rectus itemq; sessio, incessus planus & equabilis, nec exultatione, nec lentitudine, neq; festinatione, culpandus: oscitationes, contentiones artuum, & quicquid veluti supinum dormitantemq; animum prodit, comprimetur. In iocationibus & ludis dissolutio aberit, remissio animi vsurpabitur. Et quia ludorum mentio est à me facta, sciendam neq; prorsus hic

sus his intercidi, neq; temere omnes concedi oportere. Ita enim nunc est in moribus, ut vulgo neque turpe neque flagitiosum ducatur alea ludere, in quo & moribus & legibus veterum infamiam fuisse constat. Vt igitur consuetudinis potentia etiam hac in re succumbemus, ita non patiemur puericiam deformari hoc vitio. Quod si nostris hominibus aliquando meliores & pulciores delectationes, quales maxime sunt studiorum & doctrinae arridebunt, facile hac deformitas & apparebit & odio habebitur. Pueri in verborum iocationibus ab obscenis odiosisq; dictis abstineant. Ludis cupiditas victoriae absit, absit lucri, absint contentiones, rixae, iurgia.

Suppeditant autem pueris materiam ludorum foris pila, cursus, saltatio, pugna, luctatio, quae ipsa utiliter fiunt propter corporum exercitationem. Domi autem & intra conclavia, cum aliam scrupi & latrunculi, quibus in ludis gloria ab adultis quoq; ingenij magis quam questus spectari solet. Sed quia, sicut initio facturum me testatus sum, breuibus quibusdam praeceptis formam magis puerilis vitae perstrinxi, qualem illam censerem esse oportere, quam descripsi, & quam omnibus numeris suis absolui, neque sum huius aetatis terminos transgressus, & tamen non solum nihil nocuerit, sed etiam profuerit admodum, sequentis vitae quoq; rationem propositam his esse, ut quo sibi perueniendum sit, iam ante

*De iuris**Quaestio
concordi*

De vita adolescentum

quale sit, perspectum notumq; habeant, visum est hoc loco Isocratis diligentissimi & doctissimi viri, de adolescentum laudabili vita praeceptiones, Demonico explicatas, subijcere. Quem auctorem pueri audient tanquam numinis vocem, cum hoc certe rectae institutionis & verarum admonitionum opus caeleste sit & diuinum. Pollicitus autem est Isocrates eo in sermone Demonico subiectionem earum rerum, quas res adolescentes appetere, quasq; fugere rectum esset: etiam quibus cum viuere & quem ipsi in vita degenda modum viamq; tenere deberent, quas post longiusculum sane prooemium ita exponere est or-

πολυβόητος

PRIMUM omnium pietatem colito erga DEVM, non modo sacris operando, verum etiam praestando fidem & faciendis promissis.

Nam illud ample peccatis indicium est, veteri gentis suae religione & ritu, qui nunc obsequio, integritatis non videtur angere. Venerare nimirum semper debet, non vero in proximis, canis publico sacra sunt, Sic enim simul & Diis imolant & legibus obtemperare videtur.

Atq; hunc ille quidem locum explicuit, pro veteri gentis suae religione & ritu, qui nunc obsequio, & merito improbatur. Reliqua sunt ferre vt sequitur. **ERGA** parentes eum te praestites, quem optares sentire ergate filium tuum.

CORPVS sic exerce, vt non tam roboris quam valetudinis rationem habuisse videre, quod ita maxime consequere, si exercendi finem satietatem, non defectionem virium feceris. **CA-**

CHINNORVM proteruitatem respue. Sed neq; audacia in verbis tibi probetur: quarum illa stulticia, haec vesania significationem dare solet. **QVAE** factu turpia esse cognoris.

ea ne

ea ne dici quidem honeste posse speres. SIC ^{In nullum non}
 compone vultum, ne tristitia in illo, sed severi- ^{nit barbaram nisi}
 tas appareat: nam illa contumaces, hac pruden- ^{ha, sed gluceat}
 tes videri facit. NIHIL rerum omnium ^{logia munda fmo}
 pulchrius neque decentius esse arbitrere, mundi- ^{vitas}
 cia, pudore, probitate, temperantia, quibus vni- ^{7 xos nos, a d}
 versis contineri mores adolescentum putantur. ^{24, Sina cosilos}
 NVNQVAM admittes in te flagitium aut ^{Sollpoo non}
 turpitudinem, quia clam fore speraveris, Nam ⁸
 ut maxime alios celari possis, tu tamen tibi cer- ⁹
 te eris illius conscius. DEVM time. VENE- ⁹
 RARE parentes. ¹⁰ REVERERE ami- ¹⁰
 cos. PARETO legibus. SECTARE ¹⁰
 voluptates laudabiles. Delectatio enim cum ¹¹
 honestate coniuncta res optima, sine hac de- ¹¹
 terrima est. PERTIMESCE ¹²
 iam calumnias. Nam vulgus non veritate, sed ¹²
 opinione regitur. IN omnium rerum actio- ¹³
 nibus, existima neminem esse quem illa fugi- ¹³
 ant. Ut enim in praesentia factum occultes, ¹³
 postea tamen aliquando perspicuum futurum ¹³
 est. PRAECLARVM TIBI fue- ¹⁴
 rit non fecisse ea, quae in alijs reprehende- ¹⁴
 ris. SI STUDIOSE discas, multa dis- ¹⁵
 ces. QVAE IAM tenes studio & usu ¹⁶
 custodi, quae ignoras doctrinae acquirito. Nam ¹⁶
 perinde turpe est utilem orationem atque ami- ¹⁶
 corum preciosa dona respuere. QVIC- ¹⁷
 QVID OCII in vita suppetit, fac impendas ¹⁷
 C 4 cogno-

cognoscendi audiendiq; studio. Ita enim facile
disces, quæ alij magno labore inuenerunt. DO-

18 C T R I N A E copias diuitiarum copijs pluris
facito. Hæ enim cito dilabuntur, ab alijs quæ di-
diceris nemo auferre tibi poterit. Sola enim est

19 omnium partorum sapientia immortalis. NE pi-
geat te longo etiam itinere professores vtilis do-
ctrina sectari. Nam turpe fuerit, cum mercato-
res tantum pelagi nauibus emetiri non dubitent,
quo rem suam augeant: nolle adolescentes ter-
rena via contendere ad intelligentie sue incre-

20 mentum. S I C esto moratus, vt & libenter
salutes, & colloquere cum omnibus, & alijs com-
mode respondeas. C O M I S esto erga cunctos:

21 Vsus autem intercedat tibi cum optimis. Ita enim
non habebis odio, & amicos parabis. NE se-

22 pius eosdem interpella, neque multum iisdem de
rebus. Omnium enim rerum satietas est. EX-

23 E R C E T O te laboribus voluntarijs, quo pos-
sis & contrarios sustinere. Q V I B V S ser-

24 uire animum turpe est, his annitere vt superior
sis, questu, ira, voluptate, mærore: quod conse-
quere si pro lucro non opulentiam, sed gloriam
& laudem duces. Sic autem irascere delictis alio-
rum, vt alios tua velles. Turpe vero putabis ser-
uis te imperare, & ipsum seruire libidini. Postre-

25 mo contemplanis aliorum calamitates, recorda-
re te hominem esse. H A V D fidelius pecu-
nia quam verborum deposita conseruabis. Boni
enim

enim viri magis moribus quam iurijurando cre- 25
 di oportet. TAM indignos fide improbos quam
 dignos probos habeto. De ijs rebus quæ efferenda 27
 non sunt, noli communicare cum vllis, nisi quo-
 rum forte non minus quam tua intererit silen-
 tium. I V S I V R A N D V M si exigetur, 28
 dabis: vel vt te nefario crimine, vel vt amicos
 periculis liberet. Pecuniæ quidem gratis caue
 Deum iuratus vnquam sis, etiam in veritate, alij
 enim peierasse, alij auarum te existimabunt.
 N E iungas amicitiam cum quopiam, nisi explo- 29
 raueris prius, qualem se erga priores amicos suos
 gesserit: quem enim inueneris illis fuisse, eum ti-
 bi quoq; promittas licebit. A M I C I T I A M 30
 cum nemine cito iunxeris: sed initam da ope-
 ram, vt tuearis. Pariter enim turpe est, ami-
 cum habere nullum, & crebro mutare familia-
 ritates. I N amicitia periculum cum damno ne 31
 facito, neq; tamen non factum periculum velis.
 Quod tum fiet, si in copia egestatem aliquando
 simulaueris. D E ijs quæ proferrî nihil nocuerit 32
 communica cum alijs tanquam de secretis. Si
 enim illorum te fides fuerit frustrata, sine tuo
 hoc accidet detrimento: si non fuerit magis pro-
 batos mores eorum habebis. D E amicis iudica- 32
 re poteris & cum res aduersa erunt, & cum so-
 cius periculi quaeretur. Nam aurum igne, amici-
 tia vero rebus aduersis probatur. V S V S ami- 33
 citia veriss. anteuerti amicorum petitiones, &

scilicet vt fulguris spectatus in ignis aurum.
 Tempore sic dabo e experientia fides Onid. Trist
 & sag: 4

- succurri illis vltro temporibus ipsorum. **A**U-
- 34 **Q**UAE turpe puta vinci inimicorum malefactis,
 & superari beneficijs amicorum. **F**A M I-
- 35 **L**IARITATES tibi eorum placeant, non
 solum qui malis offendantur, sed etiam qui bonis
 non inuideant. Inueniri enim multos est, qui
 grauiter ferant fortunam amicis esse aduersam,
 sed prosperitati rebusq; secundis eorundem inui-
- 36 **d**eant. **A**B S E N T I V M amicorum men-
 tionem apud praesentes facias, vt illi de se absen-
 tibus idem te facturum sperent. Vestitu vttere ele-
- 37 **g**ante, non exquisito, vt velle venustus non con-
 tus esse videare, quorum alterum magnificentia,
 alterum leuitatis est. **N**E queras infinita bona
- 38 **p**ossidere, sed mediocribus frui. **D**E S P I C I-
- 39 **T**O studio diuitiarum flagrantes, cum ignorent
 quomodo partis vti conueniat. Perinde enim fa-
 ciunt ac si quis equum paret sibi equitationis im-
- 40 **p**eritus. **D**I V I T I A S fac pro facultatibus
 tibi sint & pro re. Facultates autem fructum,
 rem vsu intellige. **C**O P I A S tuas conserua
- 41 **d**uabus de causis, vt & damnum ingens sufferre,
 & dignum amicum in aduersis subleuare possis.
 In reliqua vita non nimium sed modice rem cole.
- 42 **Q**UAE C V N Q V E erunt feres, meliora ta-
 men persequere. **C**A V E cuiquam calamita-
- 43 **r**em exprobres, fortuna enim est incerta, & qua
 futura sint nemo scit. **B**O N I S benefacito: exi-
- 44 **m**ius enim thesaurus gratia, que à bono viro de-
 betur.

reproba
 fauore
 inter de ta
 psalmi

berur. Si in improbos beneficium contuleris, acci- 45
det tibi, quod ijs, qui alienis cambus cibum præ-
bent, à quibus vt pariter illi ac quiuis alij alla-
trantur: Sic improbi non magis iniuriam facere
bene de se, quã male meritis verentur. A S S E N - 46

TATOREM & fallacem ex aquo abominare.

Ambo enim malum dant ijs qui ipsis fidẽ habuere.

SI amicorum futilibus in rebus grata tibi obse- 47
quia fuerint, vtilib. fraudabere offensis. IN con- 48
uictu quotidiano assit affabilitas, absit seueritas.

Nam ille superborum tumor vix seruis tolerabilis,

hic autem affabilis mos gratus est vniuersis. A F -

FABILITATIS est non rixari, non odiosum

esse, fugere contentiones. Non inuehi acerbe etiam

in iratos sine causa, sed feruente adhuc ira illis

cedere, obiurgare autem placata. Non studere ri-

diculis, neq; in re seria iocis delectari. Intempe-

stia enim omnia ingrata sunt. GRATIFI-

CATIONIBVS ne absit promptus animus:

multos enim videas amicis obsequi, sed facere om-

nia contanter & grauate. NEQVE insimula-

tionibus studeas, neq; obiurgationibus, quarum

altera offendi, altera irritari consueuere. FVGE 49

quantum licet computationes, sed si quando in has

per tempus incideris, fac discedas ante ebrietatẽ.

Vbi enim vinum corruperit mentem, euenit quod

currib. spoliatis magistro. Nã et hi feruntur quouis

temere carentes rectore, & intelligentia corrupta

admodum animus allucinatur. DIVINO animo

sis, vt

50

capula plus con-
fidat experim
lentia, quod huc
mentem quã
faciliat: Ma
vero mente con-
stante dolorem
admirat

- sis, vt excellas, sed humano, vsum rerum mode-
 rator. ERVDITIONEM tanto melio-
 rem barbaria esse puta, quanto sepius indocti pro-
 verborum intricis re ipsa poenas luunt, cum aliae
 prauitates lucrosa esse soleant. QVIBVS
 cum amicitiam iungere vis, de ijs tum commode
 loquere cum aderunt per quos bene dicta tua
 nunciatum iri illis speras. Nam laus amicitiam,
 vituperatio odium parit. IN consilijs compara
 futura cum praeteritis, incerta enim ad certo-
 rum exemplum rectissime constituuntur. NON
 cito decerne, sed cito perfice decreta. NIHIL
 arbitrare praestantius à Deo tribui felicitate, in
 nobis inueneri posse consilio recto & bono. SI
 quam rem libere eloqui vereris, de qua tamen
 communicare cum amicis cupis, facies vt de re
 alterius verba. Ita enim & illorum sententiam
 elicueris & te ipse non prodideris. DE re tua
 cum alterius consilium exquirere voles, vide quam
 ille in suis administrandis rationem tenuerit.
 Nam qui ipse sibi male consuluerit nunquam re-
 cte alteri consulet. DETERRERE te, ne quid
 inconsulte agas, imprimis poterit consideratio ca-
 lamitatum, quarum inopia consilij caussa fuerit,
 nam & sanitas maiori tum nobis cura esse inci-
 pit, cum molestias morborum cogitatione reprae-
 sentamus. REGVM mores imitare & sequere
 studia, vnde & probare & emulari illos videbe-
 re, atq; ita & voluntatem erga te ipsorum fir-
 miorē,

Quid de laboribus
 cum de statu
 in dicitur & sumit

miorem, & admirationem tui maiorem apud
 vulgus efficies. LEGIBVS quas reges fixerint 58
 pareto, Sic quidem vt intelligas validissimam esse
 legem, morem illorum: Vt enim vbi rerum po-
 pulus potitur, ibi vitam agentes captare populi
 benevolentiam decet, ita in oculis regem ferre
 debent, qui in regno viuunt. MAGISTRA- 59
 TVM adeptus nullis in vlla functione improbis
 ministris vtare, nam delicta illorum tibi asscri-
 bentur. IN Republica gerenda ne querito opes, 60
 sed gloriam, laudatio enim populi praestat ingen-
 tibus diuitijs. SCLEBRIBVS neq; auxilium 61
 nec defensionem pares. Fieri enim solere a te cre-
 dent quod alijs factum defenderis. PLVS qui- 62
 dem alijs possis, sed equalitatem tamen colas, ne
 necessitate vt imbellicior, sed voluntate tanquam
 vir bonus, iustus esse videaris. GRATIOR tibi 63
 sit inops probitas, quam improba opulentia. Nam
 hoc est melior iusticia opibus, quo minus illa etiam
 mortuos cessat ornare, cum haec viuos modo auge-
 ant. Quinetiam his mali potiuntur, sed cum illa
 nullum sceleratis consortium. NOLI suspicere 64
 eos, qui per nefas locupletantur, ac damna potius
 iusticiae placeant tibi. Vt enim nulla alia re iustus
 iniusto praestet, spe certe meliore sustentatur.
 NIHIL negligere omnium in vita rerum, sed in- 65
 telligentiam potissimum excole. Nam in minimo
 maximum est, mens bona in corpore humano.
 CORPVS assuefacito ad laborem, animum ad 66
 studium

Studium sapientiae, ut illud sufficere conatibus hic
 quae fieri debeant providere possit. **C A V E** quic-

67 quam efferas verbis non prius animo perspectum:
 multis enim accidit, ut linguae cogitationem an-

68 teuertat. **N I H I L** firmum esse statue in rebus
 humanis, ita neq; secundis extolleris, neq; abijce-

69 re aduersis. **D I C E N D I** duo sint tempora,
 Vnum de ijs rebus, quae tibi nota sunt, alterum cum

necessitas dicendi tibi imponetur. Tum enim so-

lum praestat loqui quam tacere. In reliquis omni-

70 bus silentium oratione melius. **S I** quid prospere
 ceciderit, siue quid infeliciter, modicum & gau-

dium sit & tristitia. Nec non vtrinq; fortunam
 tegas. Nam absurdum videtur, domi rem habere

71 **A C C V R A T I V S** probrum declines quam pe-
 riculum. Metuendus enim esse debet malis finis,

72 bonis infamia vitae. **I N** degenda vita tuta sequere.

Sed discrimen si subeundum sit, gloriosa in bello
 salus, non ignominiosa queratur. Nam mors fati

necessitate oppetenda omnibus, sed laudabilis
 mors naturae dispensatione fortium virorum pro-

pria est. Neque te moueat quod non omnia haec
 quae diximus aetati tuae conuenire videantur,

quod & ipsum me non fugit: vna enim opera vi-

sum est, & praesenti vitae tuae institutionem, &
 secuturae praecpta subministrare. Horum enim

usum facile cognosces, sed qui fideliter instituat
 non cito inueneris. Quae sequuntur non magis
 praepro-

praeceptorum sententias, sed hortationes ad virtutem & honestatem ne ipsas quidem omittere placuit. Quibus enim non admouerint calcas & quos non incitarint ad decurrendum hoc spacium laudabilis & fortunatae educationis? Si qui se aspici forte intelligant, operam dant ut solito honestiores videantur & in hac expectatione eorum quos naturali quisque sententia pluri mi facit, negligens aliquis esse poterit? Hunc certe non ego magnopere sperem, ne in multis quidem nomen aliquod habiturum. Iacebunt tales semper in turba ignobiles, aut si quando caput exeruerint atque eminuerint, cum ingenti id aliquo malo, aut clade rerumpub. fiet, Sed Isocratam audiamus. Ne tibi, inquit, aliunde essent quae requireres petenda, sed ut hinc quasi de penu posses promere, nihil omnium praterire volui quae subiicienda tibi putassem. Deo quidem ingentes gratias agam, si me spes de te concepta non fuerit frustrata. Nam plerique ut ciborum suauitate potius quam salubritate capiuntur, ita consuetudine amicorum magis delectantur, quos socios habeant peccatorum, quam quorum monitis castigentur. De te vero contrarium mihi persuasum est, quod in totius eruditionis studio tantum operae laborisque sumere soleas. Qui enim ipse sibi facienda optima imperat, eum non est verisimile aliorum ad virtutem cohortationes auersari. Sed maximum incitamentum ad ho-

ad honestatem tibi esse debet, nullas reperiri voluptates alias, quam honestatis, sinceriores. Nam in ocio & ventre replendo statim adherescit voluptas ad molestiam. At virtutis defatigatio & in hac vita disciplina sanctitas, delectationis puram integritatem & constantiam complectitur. Ibi post praterita gaudia tristitia subit. Hic vero molestiam voluptas excipit. Omnium autem rerum multo magis finem quam principia meminimus, cum pleraque non tam suo quam exitus respectu agenda elaborandaque, à nobis suscipiantur. Sed & hoc cogita: Nibili quidem hominibus non solere quenquam succensere, si temere videat in vita eos versari, quod talem ipsi mox ab initio formulam proposuerint. Laudis vero cupidis non esse integrum deserere cultum virtutis, vel in reprehensionem plurimorum incidant necesse est. Omnes enim non perinde delinquentes odere quam professos honestatem, si à temeritate vulgi non recedant. In quo ipso summa inest aequitas quod cum verbis tantum mendaces respuamus, fieri nequeat quin nibili homines ducamus esse eos, quorum tota vita leuis sis & abiecta. Neque immerito huiusmodi non erga se modo delinquere, sed fortunam quoque suam prodere credi possit. Quæ cum eis opes, existimationem, amicos conciliarit: horum ipsi omnium se indignos esse demonstrant. Quod si mortales caelestia scrutari fas sit, deprehendi videtur posse in rebus quoque
 diuinis

diuinis discrimen cupidorum hominum laudis & negligentium. Nam Iupiter, vt fabularum historia creditur, cum procreasset Herculem atque Tantalum, alteri immortalitatem præmium virtutis est largitus, alterum exquisitis supplicijs, quod improbus fuisset, affecit. Hæc exempla intuens, ad honestatem vitæ ac morum contendere debebis, neq; solum nostra præcepta custodire, sed ex poëtis deligere optima, & reliquorum doctorum libros percensere, & cognoscere bene dicta. Quemadmodum enim cernimus apiculas super quibuslibet frondibus passim considerare, sed non assumere nisi fructuosa, ita par fuerit auidos eruditionis nihil relinquere quidem intactum, sed vndecunque fructuosa tamen sibi colligere. Nam tali quoq; ac tanta diligentia cura vix poterunt naturæ vicia exterminari. Hactenus Isocrates. Nunc hoc reliquum est, consecuturos omnia pueros, modo eo sint animo, vt discere velint atque institui, neque contemnant primum diuinum oculum lustrantem omnia, & in se quoque imprimis intentum, deinde, expectationem suorum parentum, cognatorum, propinquorum, postremo spem & illorum & magistri. In ipsa quidem re & experiundo hæc pauca perfacile dilatantur, & ea inuenientur, quæ hoc commentariolo parum fuere exquisita. Per scribi enim omnia, desiniriq; nullis voluminibus possunt. Cum his tamen capitib; singulatim omnia congruent. Quo

D autem

autem pleraque commodis etiam memoria retineri possent, in versiculos coniecta ea fere, quæ exposuimus, subiungere visum, quos quondam cum fabricati essemus, non quod elegantes esse, sed quia huc valde quadrare putaremus, quasi agglutinare placuit.

THOMAE

THOMAE VENATORIO

S. P. D.

Dum tu somnia luculenta Thoma
 Scribis de cruce versibus seueris :
 Inter discipulos ego ociosus
 Artem purpurei leuem decori,
 Manda pondere carmini carenti.
 Tales teq; decent tuasq; Musas
 Thoma relligiosa scriptiones :
 Talis me decet & meas Camœnas
 Susceptæ labor institutionis.
 Quod si coferimus iocationes,
 Lusus peruigiles, moras Lyæi,
 Et crebras simul ambulationes,
 Cur non hæc potius probatiora
 Nobis ludicra carminis Latini
 Sint communia? sicut esse debent.
 Quare hac lege meum tibi libellum
 Mitto, vt tu mihi plurimos remittas.
 Sed iam tristia placet, sinamus,
 Iam sint omni plena gaudiorum,
 Martinalia festa sunt propinqua,
 Martinalia vina cum bibemus
 Martin. i c. rmina accinamus,
 Martinali. io, valete cura.

Calen. Nouemb. An. 1528.

D PRAE-

PRAECEPTA HONESTATIS ATQVE DECORIS puerilis.

Alea lucrose si qualudatur ab arte
 Materiam talos si quoq; scriptor habet.
 Prælia carminibus veteres si facta latronum,
 Siq; duos scrupos & docuere decem.
 Si legimus præcepta tuæ damnosa Camœna,
 Traditus exiliij cui fuit autor amor:
 Tu quoq; Calliope, rerum decus, omnia reddens
 Diua venustifico nomine pulcra tuo,
 Tu quoq; ades felix, nostroq; faueto labori,
 Qui melius si non, at meliora canam.
Est aliquid mores pueros seruare probatos,
Atq; his ætati conciliare decus.
Quodq; decet, si sint videantur vt esse modesti,
Omnia & aspectu sint speciosa suo.
Quid iuuat ingenuas didicisse fideliter artes?
Quam leuis est linguas gloria scire duas?
Si non accedat vitæ cultura decoræ,
Nescio quo tantum res placet ista modo.
Vidi ego multarum claros quos gloria rerum,
Virtutisq; bona secerat arte labor:
Ipsos dedecorig; sibi probroq; fuisse,
Incaussa vitium mori inertis erat.
 Heu mihi quam vulgus generosi fallitur ortus,
 Duriciem laudi qui tenuisse putant.

At tibi

Exordium ab in-
 uocacione p. Am-
 v. r. f. m.

propositio i. pil.
 ch. m. v. p. d. l. m.
 v. l. h. u. d. m.
 v. l. h. y.

Ratio a. m.
 p. i.

ratio a. m.
 p. i.

At tibi Peliden iuuenem iustissime Chiron,
 Non fuit his studijs erudijſſe pudor.
 Ah quoties Pindi referentem vertice prædam,
 Seu leo seu ferrum tinxerat vrſa ſuum.
 Siue erat in dama telis iuueniliter vſus,
 Cum tibi quicquid erat poneret ante pedes:
 Non fuiſti epulis agreſtem immittere dextram,
 Quantumuis ſtimulos ſubijciente fame.
 Sed prior & ſeruare modum & ſeruare decorum
 Res erat, & certa ſumere lege cibum.
 Quæq; iocis licitiſq; dabas ſua tempora ludis,
 Nanq; nec his rebus tempora nulla dabas.
 Efficere arbitrio moderando cuncta ſolebas,
 Hæc & vt ipſa forent non vicioſa, tuo.
 Quid, quod naturam vt poſſes frenare ferocem,
 Quæq; ni nullum ſciret habere modum:
 Flumine Caſtalij conſperſa vireſcere fontis,
 Iuſiſti, & pulcrum gignere corda decus.
 Sic neq; ruſticitas te læſit regia virgo,
 Neſcia fœminca veſte latere virum.
 Hunc etiam arte boni captam Lyrneſida moris,
 Credibile eſt aliqua demeruiſſe ſibi,
 Illa & præcones inter duo iuſſa venire
 Ad regem, lento dicitur iſſe gradu.
Credite compoſiti res eſt pulcerrima moris,
Turpius inculta ruſticitate nihil.
Sed niſi dum tenerum eſt æuum diſcuntur et anni,
Postmodo nulla poteſt cura docere ſenes.
 Quare ades & ſi cui placet, huius percipe laudis

Rationis pariter
 educationis

Qua precepta artis nos tibi prima damus.

Principio quem vera parum delectat honestas,

Spurcaq; cui potius verbaq; resq; placent,

Iste procul nostris monitis procul esto profanus:

Virtutis cupidis scribimus illa sacra.

Flagitijs alibi multus pater vndiq; ludus,

Balnea, caupona, lustra, culina, tori.

Hac est virtutis schola, primum dura, sed alta

Grata habet ex imis culmina summa via.

Hinc etiam es factus qui post Alcida fuisti,

Quando tibi Libyci cessit Atlantis onus.

Nā satus Amphitryone puer dum forte per aestum,

Iuxta Asopeas disspatiatur aquas:

Qua se discerpti tollunt iuga conscia Penthei,

Oppida vbi rubro stant Hysica solo:

Virginei geminas facies se protinus oris,

Contra directo cernis adire gradu.

Quarum purpureis splendebat vestibus vna,

Aurea tota pedes, aurea tota caput.

Vultus perfusum referebat lacte cruorem,

Albae sanguineis lilia mista rosis.

Pendebant digiti gemmarum pondere lasi,

Collierat in grauido torq; smaragdus onus.

Nēue sui cultus alios pars vlla lateret,

Ibat adornato lentius illa gradu.

Ardua ad à tergo reflectens colla sequentes,

Inq; vmbra figens lumina saepe suam,

Alterius crinisq; habitusq; in corpore simplex,

Inq; color vultu non alienus erat.

Ipsa

Ipsa verecundo decorabant lumina motu
 Compositum mundo corpore rite statum.
 Quaeq; erat ingenue mentis candoribus apta,
 Induerat niuea libeta membra stola.
 Illa ut erat verbis audax, vultuq; proteruo,
 Prima dedit tales ore procace sonos:
 Alcmena formose puer mea iussa capesse,
 Et bene fac vitæ dum licet vsq; tuae.
 Nèue tuos sauis praecepe laboribus annos,
 Utq; diu possis viuere, viue bene.
 Dux ego diua viam, quam iussi incedere, pandã,
 Hæc est purpureis consita tota rosis.
 Utq; scias quæ sim, nomen mihi blanda Voluptas,
 Omnes me sancto dijq; hominesq; colunt.
 Hæc est delictum, famulas monstrabat, & hæc est
 Edita spumanti Cypria diua mari. (est
 Quid memorẽ reliquas? an cui Cytherea ministra
 Scilicet, hanc dubitas Hercule parue sequi?
 Viue tibi speciose puer, vitamq; suauem,
 Redde quibus poteris reddere cunq; modis.
 Sic ait, Alcideq; amplexu colla petiuit,
 Quid facis, o meritis efficiende Deus,
 Quid facis, exclamat, quæ viderat altera, laudis
 Ab quantas segetes proterit ista tue?
 Hæc est si nescis patrantis cuius ocelli
 Nullius esse diu fortia corda sinunt,
 Perdidi ista prius reges vrbesq; beatas,
 Viuere si non vis huc periture veni.
 Nam simul ut vacuas animũ exhalaret in auras

D 4

Hanc

Descriptio no in p...
 mollietate am...
 da no...
 in p...
 in p...
 in p...

Hanc quisquis sequitur quid super huius erit ?
 Nec te decipiat , quae prima est semita mollis ,
 Me miseram quorsum semita mollis abit ?
 Ad me igitur mihi care puer concede , Deusq;
 Incipe pollicitis caelifer esse meis,
 Scire cupis quae sum ? quae sim tibi nomina dicent,
 En assum virtus Amphitryoniade ,
 Qua prius innumeris ornauit sidera diuis ,
 Per quoq; me regnum Iupiter ipse tenet :
 Sed neq; pelliculam curant mea signa sequentes ,
 Delicias metam nec posuere sibi.
 Ipse pater , statuit me duros ante labores ,
 Quoq; petor plenum est asperitatis iter.
 Cum tamen euictis ventum est ad summa salebris,
 Iam facilis , quamuis ante molesta , via est.
 Praemia nunc audi , tangunt quoq; praemia diuos,
 Te sibi erit generum cum Iouis vxor emet.
 Dixit & adductum modico conamine dextra
 Alcidem aeterno iunxit amore sibi.
 Is quoq; non tennes accepit pectore flammis ,
 Nec nisi virtutis postmodo gessit opus.
 Ergo etiam multi , si vera est fama , magistri,
 Iussu animos teneros erudiere patris.
 Castorq; , Harpalicusq; , Linusq; , Phialamonidesq;
 Vsq; adeo totum fecerat ilia suum.
 Prae cunctis igitur laudem virtutis amabis ,
 Quae veluti dici , sic facit esse bonos,
 Huius opus primum caeli terraeq; parentem
 Voce animoq; simul concelebrare Deum.

Quod

Descriptio
 virtutis

Adhortatio ad
 studium vir-
 tutis.
 Virtus
 pietas erga
 Deum.

X primum mem-
 brum de caeli
 ra animi

Quod sumus, hoc autore sumus, qui cuncta creavit,
 Quiq; creata manu cuncta potente regit,
 Ille potest nostris successus addere rebus,
 Iratusq; potest maxima damna dare.
 Ergo hunc quicquid ages, casto venerare timore,
 Unde salutifera fons fluit ortus aqua.
 Nec prius ad tibi propositos accede labores,
 Quam laudante Dei voce precatus opem.
 Formam cuiq; suus poterit dictare magister,
 Propositi non est ista docere mei.
 Sic tamen exurgens discusso mane sopore,
 Commendare Deo te studiumq; potes:
 Nunc iterum nos iucundam das cernere lucem,
 Eiq; pater tenebris sancte videre diem.
 Nox abiit, splendor circum se tollis Olympum,
 Stellaq; vicina praeuia lucis adest.
 Et nunc rara nitent, Phoebea lampade pulsa,
 Quaeq; nitent modicum sidera lumen habent:
 Iam nos e stratis exciuit mollibus ales,
 Qui tacitum nullum tempus abire sinit.
 Ergo ad consuetas operas studiumq; redimus,
 Nostraq; iam recipit pensa diurna manus.
 O pater usq; tua praesens ope sancte governa,
 Quod sumus & quod mox aggrediemur opus.
 Et fac ingressum nos sic decurrere solem,
 Laudis vii sumus pars quotacung; tua.
 Sic lucem incipiens sanctum praefare timorem,
 Atq; ita, vel simili, vespere claude, modo:
 Iam Phaethonteos ignes pepulere tenebrae.

Pratio manu
 na.

Fumantesq; egit sub mare Phoebus equos,
 Umbra iam faciunt aequalia cuncta videri,
 Omnibus in rebus cum color vnus inest.
 Lucibus exiguis tantum nox atra nitescit,
 Plurima qua tremulo lumine stella micat,
 Aurea gemmati temones plaustra reducunt,
 Iamq; moues segnes tarde Boota pedes.
 Ipseq; fulgentes humeros ostendit Orion,
 Atq; vno pressam sub pede calcat humum.
 Ibimus hinc solito capturi tempore somnum,
 Ut renouet dulcis languida membra quies. /
 O pueri vera condemur imagine mortis,
 Quisq; Dei casta voce precemur opem.
 O pater hanc noctem ne quo perdamur ab hoste,
 Auxilio firma praesideoq; tuo.
 Cumq; sopor fessos studijs recreauerit artus,
 Lumina da latum cernere nostra diem.
 Atq; ita seu capient nocturnam membra quietem,
 Siue die iussum perficiemus opus:
 Esse tuos semper facias semperq; manere,
 Hec pater est nostrae summa caputq; precis.
Prima Deum res est coluisse, secunda parentes,
Et si qui horum alij pondus & instar habent,
His obseruatis merito veneramine, cunctos
Cana quibus harba est esse putato patres.
 Illis cede loco & consuetum defer honorem,
 Vertice seu nudo siue cadente genu,
 Namq; imbecillis quae per se non sapit aetas,
 Instruitur cura praecipiente senum.

Illis

In virtus
 pietas erga
 parentes
 in virtus
 Reuerentia
 erga senes.

DECORIS PVERILIS.

Illis confecti iam longi temporis usus,
Et sapere & reliquos posse docere dedit.
Deinde tuis studijs aequales dilige, & illo
Quo tibi quos iungit sanguis habeto loco.
Hos neq; mendaci nec vero ledito dicto,
Irruptamq; tene semper amicitiam.
Nec tibi sint cordi lites, certamina, rixae,
Sed veneranda quies, ingenuusq; pudor.
Sepibus inclusit linguam natura duabus,
Ne sit inexpensi promta loquela soni,
Vix unquam tacuisse nocet, nocet esse locutum,
Est sibi qui accersit garrulitate necem.
Scire loqui laus est laus est quoq; scire tacere,
Illa magis pulchra est, haec quoq; pulchra magis.
Hinc ne verborum plus fac quam postulet usus
Atq; odiosa caue sint ea, si qua facis.
Aera putant nosci tinnitu, pectora verb
Sic est, namq; id sunt utraq; quale sonant.
Quod Therfita feris lacerabas dentibus omnes,
Planxerunt tergum regia sceptrum tuum.
Quiq; luis poenas fugitivis mersus in undis,
Incastigata crimina vocis habes.
In studijs virtus pacis quos educat alma
Iurgia sit valida tollere voce nefas.
Qui vis esse bonus tales vitato furores,
Fax parvi ingentis saepe fuere mali.
Nec est carniuorum tristis natura ferarum,
Tene studes seuis assimulare feris?

Pracipue quadam cum dantur tempora ludis,

Absin.

III Virtus
Dilectio prae
aqua est

V Virtus
Taciturnitas

VI Virtus
Studium concor
diae.

Absint permixtis dicta cruenta iocis.

Si puer in ludo mentem Patrocle domasses,

Non foret aequalis causa pudenda fuga.

Quare age forma mouet sensus, si cuius honesti

Consona sint placidis facta pudica sonis.

VII Virtus.
Candor et
fuga obtrec.
fabriom.

Fœdus at multo est absentum rodere famam,

Et viridi tinctos spargere felle sales:

Alba quibus gelida circumdant corpora stelle,

Debuerat similis mentibus esse calor. (stum.

Sed quibus illa nitant iam plus quoque quam sit bone

Ab animis candor, quod prope nullus inest.

At quondam dum vita fuit cultusque seueri,

Vt memini effœtum dicere saepe patrem.

Si quis in absentis faceret conuicia nomen,

Omnibus inuisus cœtibus exul erat.

Cur tua non prius insipiens peccata reuisis,

Cernere praeq; illis cur aliena iuuat?

Nec trutina potius pensas examine iuste,

Quid tibi sit factum, quid tibi praeteritum.

Quidque domi restet propriae vitæque boniue,

Vt docuit Samij regula prisca senis.

Quicquid ages, nolis latuisse & quærere noctem,

Obtendi factis turpibus illa solet.

Quodque ferunt quendam iussisse olim sapientem,

Viuere sic ut te viuere nemo putet:

Hoc alio inueniatque loco atque in tempore laudem,

Tu quod ages, alios fallere velle caue.

Nunquam animus sceleris nullius conscius odit

Vlla sua in clara facta patere die.

Nun-

Nunquam flagitijs sceleratig, vllius ausus,
Corda queunt lucem conscia ferre sibi.

Quod tua non refert, ne sit cognoscere cura,
Neu percontator scire aliena velis.

Præcipue turpe est captanti sublegere aure,
Non rei dicta tue, facta notare oculis.

Sunt, obscæna loqui quib. haud turpe esse videtur.
Inq, iocis aliquid laudis habere putant.

Crede mihi solito mores sermone notantur,
Et facere illa iuvat, dicere si qua iuvat.

Quam bene senserunt gens veracissima Persæ,
Turpia patratu cum vetuere loqui.

Quã mala sunt castæ mentis documenta Catulle,
Turpia versiculis condere facta suis.

Nil ausus igitur fari quod non sit honestum,
Quodq, animus facinus iudicet esse malum.

Quin fieri quæ rectum est, sed sine teste, caueto
Indicio linguæ prodere facta tue.

Quid, si cui fallax suggurgitet alea nummos,
Aus stolidum reddant plurima vina caput?

Talia non nostris ego castigabo libellis,
Talia nec decoris crimina ludus habet.

Sed nil tam turpe est quod non mendacia vincant,
Mendaces aiunt furibus esse pares.

Cuius falsiloquis lingua est exercita verbis
Innumeras messes improbitatis habet.

Nil erit huic nimium dictu, factiue scelestum,
Qui sapis hunc morum doctor abire iube.

Atq, ita mens primis rudis informetur ab annis

Qua

*Alibi in pag
de la T
Quod tua non
cognoscere cura
viii Virtus
De veracitate
et odium
improbitatis*

*ix Virtus
Modestia leno
dixit in
et ebrietatis*

*x Virtus
Veritas pro
dixit man
da et*

de decor
in gestu

Alterum me
brum de
extrema
corporis

Intuitu

In Incessu

vix fessio.

de vestitu
corporis

de mendi
cio externa

in qdq paribolom

de capillis ornadu

de unguento

de holo manna

de unguento

de mendi

calciornu

de mendi

de mendi

Qua spes neglecta que superesse potest?
 Corporis accedet tamen huic quoq; gratia cultus.
 Ergo sit in vultu luminibusq; decor:
 Sive manum profers, gestu proferto modesto,
 Sive astas, noli saepe mouere pedes.
 Intuitum rectum teneas, oculos nisi si qua
 Causa verecundos figere coget humi.
 Incessus neq; sit properatis gressibus asper,
 Sit neq; foemineo mollis inersq; gradu,
 Sic sedeas curuum ne reddat sessio corpus,
 Et tua ne gippos terga supina trahant,
 Parua quidem res est vestis, sed veste notari
 Qui dicunt animos, dicere vera solent.
 Quare & communi & consueto more paretur,
 Indusium, tunica, pilea, lana, toga.
 Oderis & sordes, placeat seruata venustas,
 Sordidus est nunquam laudis amator homo.
 Non ego te mollem iubeo muliebriter esse,
 Quae iubeo forti sunt quoq; digna viro.
 In verbis igitur pudor inq; modestia gestus
 Si sit, mundiciem conuenienter ama.
 Pexus vt extrema labatur ab aure capillus,
 Oraq; suffusa mane rigentur aqua.
 Vt niteant palmae careant squaloribus ungues:
 Vnda datur gratis, saepe lauato manus.
 Ne pituitoso destillent phlegmate nares,
 Ergo tuo semper lintea fertu sinu.
 Ne madido rigeat caeno oblita calcis aluta,
 Sint sine quisquilijs pilea, labe toga.

Nunc

Nūc vbi praeipue quod pulcrū est cernitur, *adā, III de moribz*
 Inter quid deceat quid male sacra dapum. *inter comedoz.*
 Ac iam de hinc remis fluuiog, aurag, secunda, *clm praestadis.*
 Incita per liquidas cimba natabit aquas,
 Principio prasens si fert occasio rerum, *Itu e pcepta in ga tuz*
 Dic aliquis claro taliter ore preces: *parte subditur pmo*
 Hac tua sancte pater diuina munera dextra, *Foramta benedictio*
 Quae das paruo iterum des iterumq, gregi. *nib ante msa*
 Per te sublimes spectamus sidera vultu, *Narratio aliquot huius*
 Per te agit aethereus corpora nostra vigor. *in huius*
 Per te praeteritos feliciter egimus annos, *in huius*
 Quod superest per te fac bene tempus eat.
 Sic vt praeipue te casta mente colamus, *Ca 7, in huius V3 gloria De*
 Aeternumq, Deum propitiumq, patrem.
 Vtq, tuum nullus peruertat casus amorem, *Altera pars nam*
 Duret amor, mistus duret, amore, tumor. *in huius pmo*
 O pater igne tuo pueriles vre medullas, *pletus homo Spiritus*
 Te praeter sapiat mens nihil ora sonent.
 Excipiat nostra cursus tua gloria vita, *in huius gloria Dei i cho. 10*
 In laudes studium desinat omne tuas. *in gloria Dei fante.*
 Hac est summa pater voti sanctissime nostri,
 Cetera sollicitos nunquam habuere nimis.
 Tu tamen & vestes nobis victumq, ministras: *in huius pmo*
 Et quibus hac alijs tempora rebus egent. *nictus et amictus.*
 Quae nondum gnaris quarendi suggeris vltro,
 Nullus erat nobis ista parare labor.
 Neve quis addubitet promissa fideliter addis, *Amplificatio a causis*
 Promissa exemplis nobilitata suis. *impulsiu impellit huius*
 nostros ergo animos leuis horum cura fatigat, *ad p laudum q 21 pmo*
 Stulta

Stulte sollicitos de quibus esse vetas.

conclusio constans
principalis propositio
reprobatio
Exordium a propositio
figurata et expositio
in distributione ito.
Wolfgangus
Hac dabis, illa preces ut des pater accipe nostras,
Utiliter tantum nos ale sancte tibi.

Exordium a propositio
figurata et expositio
in distributione ito.
At iam sedataq; fame mensisq; remotis,
Fac laudes memori pectore gratus agas.

Exordium a propositio
figurata et expositio
in distributione ito.
Has cupiam Isaide sumi de carmine regis,
Nostrum etiam Exemplum, cui placet, istud habes.

Exordium a propositio
figurata et expositio
in distributione ito.
Quisquis es in quacumq; manes regione locoq;
Et quacumq; tua nomina gentis habes:

Exordium a propositio
figurata et expositio
in distributione ito.
Seu tibi primus adest rediuvio lumine Phœbus,
Lotus ab æquoreis conspiciendus aquis:

Siue vides labi postremum in Thetyos undas,
Seq; agere ante diem post tenebrasq; sequi:

Aut latere in laevo mundi dextrone locatus:

Inde calore frequens vreris, inde gelu:

Mente Deo laudes cessas quid dicere voce?

Ore, animo cunctos hunc celebrare decet.

Nam pater est, & nos auditq; videtq; benignus,

Et fouet imposita vulnera nostra manu.

Subleuat iste graues qua mansuetudine casus?

Quicquid agit nihil hoc mitius esse potest.

Ecce cibum quem nos nunquam quaesivimus offert,

Et vitæ ignaros veste domoq; regit:

Atq; hæc non mutanda Dei sententia constat,

Quæ se huic credentem posse perire negat.

Ergo simul lenis pater est veraxq; bonusq;

Protegit hic, qui, nos quem metuamus, erit?

Nec sibi pro tantis meritis quicquam ille rependi

Quam benefactorum commemorasse, iubet.

Namq;

Namque aliud nihil hic vnus qui cuncta creauit,
 Quam grati laudes cordis & oris amat.
 Talia si qua negant manifesta dicere voce,
 At tacita secum voluere mente licet.
 Nam si quis nugas pueriles hac modo censeat,
 Fallitur, & vere nil pietatis habet.
 Nunc spacio egressos retrahant vaga lora iugales,
 Ut teneat currus orbita recta meos.
 Primum sunt quæ summa putant fugienda locorū, ^{ii p. de p. p. p.}
 Non omnes eadem summa putare solent.
 Sed quæcunq; tene, paucis presatus honorem,
 Seria primorum quæ tibi iussa dabunt.
 Iamq; preme leuibus mollita sedilia plumis, ^{iii p. de p. p. p.}
 Ergo fac ut belle compositeq; premas.
 Quæ te sortita est, maneat in sede quietus,
 Ne stolide dictu membra pudenda mone,
 Næue caput iacta, non fauces differ edendo, ^{iiii p. de p. p. p.}
 Næue tibi lingua tinsa palata sonent.
 Ante manus te pone tuas. Ne calcibus infra ^{v p. de p. p. p.}
 Aut strepitum aut foedum corporis ede statum.
 Inprimis quocunq; manus protensa feretur, ^{vi p. de p. p. p.}
 Illo conueniet lumina rite sequi.
 Non bene directæ, plane est insania, dextra, ^{vii p. de p. p. p.}
 Versa per effusum pocula nare merum.
 Qui satis est panis frangatur, ne tibi detur, ^{viii p. de p. p. p.}
 Reliquis vitio particulata Ceres.
 Mergetur nitido quoties tibi dextra catillo, ^{ix p. de p. p. p.}
 Opposita verrat frustula parte caue.
 Dedecus est censere dapes mutareq; sumtas, ^{x p. de p. p. p.}

E

Palpan

Palpantiq₃ diu detinuisse manus.

Quare cultrigera ne subrue fercula dextra,

Sicut aper latos depopulatur agros.

Nec pro te grandes epularum construe moles :

Sed tibi sorte datas arte decenter ede.

Deq₃ his reliquias sectis imposito quadris,

Seu sint ossa tibi, seu tibi spina super.

*V. de viuis inter
edendis m. i. h. h. s.* Vidi aliquem strata cultellum infligere mensa,

Et dixi mores non habet iste bonos.

Vidi etiam madidum cultro qui raderet orbem,

Et dixi quam non quod decet iste facit.

U. V. in P. in P. in P. Est vitium, in patina longum si dextra moretur,

Dentibus est vitium dilaniare cibos.

Turpe quoq₃ est vltro meliores carpere partes,

Nec caret hoc foeda suspicione gula.

At crebro digitos quem lambere non pudet vdos,

Debit in fellis tingere iure manus.

In quadra multum si sit tibi reliquiarum,

Vrbani credas moris habere parum.

Interdum mansus dentes cibus inter adheret,

Si ferro extimiles, dedecus esse puta.

Iam primam in patinas vitiosum immittere dextram

Matre scit, & vitat quisq₃ docente sua.

At madidum sputare cibum foedareq₃ vestes,

Esse Scythis probrum Massagetisq₃ puto.

Est cibus in mappam tremulo cui decidit albam,

Est cui semihauustus defluit ore liquor.

Est madidum Cereris tergat qui segmine cultrum

Hec nimium explosive rusticitatis habent,

Inus aliqui & pultem calidam, sed turpiter afflant.

Phyllis vt hesternum rustica mane focum.

Quis ferat appositas auidum tanquam velit omnes

Deglutire dapes, accumulasse dapes?

Quid? gula quod non est sic exaturanda quibusdā

Vt rapiant alios, qui iacet, ante, cibum.

His ego ne in nostris ponam praecepta libellis?

Ponam, si catulos instituisse velim.

Retro aliquis curuam cervicem flectit edendo,

Faucesq; sublato captat hiante cibos.

Multi epulas veluti fugitiuas ore sequuntur,

Hac aduersa scias moribus esse probis,

Ergo decet tenuisse modum, tenuisse decorum,

Nec lentum esse nimis nec properare nimis.

Qui potet tanto videas molimine, fuso

Vt praclusam animam pene liquore necet.

Sic igitur, postquam latices exhausit, anhelat,

Vt solet aestiuo puluere fessus equus.

Quid? quod ego quosdam vidi lacrimare bibētes,

Dum nihil hoc vno scēdius esse queat.

Non vt edas tacitus iubeo, nec multa loquentem,

Nemine materiam suppeditante, feram.

Nam sermone forum rabulam complere licebit,

Esse silens nocti creditur apta quies.

Inter vtrunq; modum laudis studiose tenebis,

Pulcro res non est pulcrior vlla modo.

Ad tabulas hilares, sed non decet esse procaces.

Laus etiam ad pulcrum pertinet ista modum.

Atq; vtinam nostra doctos videamus ab arte,

Conuulsus Non nimiumq; leues, non nimiumq; graues.

Impudētia Heu mihi rugosa sedeas si fronte seuerus,

Nec fugias ductis cogere labra plicis,

Aut immaturo dentes rictumq; cachinno,

Diducas rabidi more furente canis.

Lasitia Spartano legum narrant latore carere

Supplicio incestis qui iacuere toris:

Quod qui tale scelus facerent non esse putarit,

Nec sit in ignotum poena statuta malum.

Minus Nec crepitus ego nec ructus vesanaq; gesta,

Nemine quis faciat que prohibente? veto.

Ab nares intus male reddunt saepe retentum

Spiritum, vt imbriferis nubila pulsa Notis.

Dicas inflatis exciri follibus ignem,

Sedulius vt cudat nigra metalla faber.

Vt semel ergo scias, nutus, suspiria, risus,

Editaq; obstrepera murmura voce, tene.

Urbani est etiam ne cum bibit vnus, vt alter

Admoueat labris pocula moris. Et hoc:

Non super obtusum digitos imponere cultrum,

Ne fiat, fac sit culter acutus. Et hoc:

Ne scindens Cereris, secet vt si robora quercus

Sistat in obluctans fragmina pectus. Et hoc:

Ne dextram in liquido, tenuē dum perluis offam,

Que bene res sane est rustica, iure laues.

Ergo prius frustum panis mucrone refixum

Humecta, ac ori postmodo subde manu.

Nam quanquā hoc aliqui faciunt, tamen improbo

Confossum ferro carpere dente cibum. (cultri

At

At qui præmorsum patinæ indit, debuit inter
 Cœniuagas boles fursuris esse sues.
 Qui bibis, inque cauo retines semesa palato
 Frustula, scis omni rusticus esse modo.
 Sunt alia & sunt parua magis quam vt religiose,
 Cætera si teneas, præcipienda putem.
 Sic tamen obseruant, ne partas flumine pradas,
 Neu leporis pulpam dissecuisset velint.
 Qui male diuisit captarum terga ferarum,
 A tumida risum nobilitate feret.
 Verum hæc vt faciant operam dent singula fas est,
 Queritur hac vna gloria parte quibus.
 Quiue est virgineæ laudis vulgariter auceps,
 Occupet indigna se leuitate viro.
 Hæc vero mensæ & vitæ præcepta probata,
 Qui bonus esse studes inuiolata tene.
 Nec tamen in paruo sunt omnia dicta libello,
 Dicta ea sunt quæ sit præterisse nefas.
 Estq; aliquid reliquum tanquam de diuite messe,
 Spicæq; frugifero plurima rure manet.
 Plura alij tradent, res ipsaq; plura docebit,
 Discere fac, si quis vult docuisse, velis.
 Præcipueq; tuis fac morigerere magistris,
 Quos tibi cunq; patrum prouida cura dedit.
 Per se nemo sapit feruens puerilibus annis,
 Sed se iudicio quisq; regentis eget.
 At male mercedes hodie grateq; reportant,
 Doctrinam mentis turba professa bonæ.
 Quid quod sunt quidam sic corde & pectore casti,

Conclufio huius
 tractatus de moribus
 per præteritionem
 Sans præteritione

Vnde præter illa
 omnia de huiusmodi

Adhortatio ad dicit
 contra ambitionem
 et ostentationem

Deinde adhortatio ad
 prouidendum in
 pueris iudicium

Adhibet huiusmodi
 multa exempla
 maxime arguit

quam præter illa
 multa exempla
 maxime arguit

Communis E 3 Ingenij
 huiusmodi iudicium in huiusmodi

ces.

n,

bo
 ri
 At



*Amplificatio per
exemplum bonorum*

Ingenij vt cultum sit didicisse pudor?
Aiebant quondam frustra nunc discere querunt,
Cum precium nemo persoluisse velit.

*Effectus huius
contumeliosus*

At bene nobiscum qui iam profitemur agatur,
Artibus ingenuis si modo constet honos.

Et sint qui cupiant virtutem discere gratis,
Heu mihi virtutem dedecus esse putant.

comparatio et subditio

Ergo est in precio diues mercator & audax
Miles, honestatis fama q, laus q, iacet:

Vtraq, res integra quidem laudanda videtur,
Sed qualis nunc est vtraq, laude caret.

*utrumque ex
negatione*

Disciplinam vtinam veterum teneamus auorum
Solita tantum sit feritate minus:

*non rat sui fraudata
non impetitur*

Aut datus bis fato doctrine accederet vsus,
Vt foret hac virtus horrida parte minus.

*utrumque
pra*

Quanquam erat immenso fatius, sit vt horrida virtus
Pristina, quam virtus quod modo nulla manet.

*Adhortatio
ad iuuenes
per hoc
in istis san.*

Vos igitur Deus, o pueri, quos lumine dextro
Respicit ac omni prosperitate beatus:

*divina a pro
non est*

Concessa vtimini felici tempore sorte,
Quis scit, an eripiat, quod dedit, ille bonum?

*utrumque
utrumque
aut non existano
hinc uterque
le dei
q supra commodis
dus punit.*

Cumq, sit ingenijs inuenilibus insitus error?
Dum licet hunc omnis sit pepulisse labor.

Post neq, tempus erit, nec erunt fori asse magistri.
Quisq, sua properet commoditate frui.

*utrumque
adipsum
in dicitur*

Quanto diuitijs virtutis gloria praestat?
Sint alij dices, vos bona fama beet.

*utrumque
penion
ha q
provi.*

Auditum non est vnquam ad saccum esse redactum,
Cordat & fuerit qui probitatis amans.

Sed

DECORIS PVERILIS. 69

Sed nec equus freno indomitus parere recusans,

Tollet Olympiaca premia victor humo:

Nec praeceptoris puerum impatientia corda,

Virtutis praeceptis ingredientur iter.

Quapropter nostris Salomonis clausula scriptis,

Apposita exiguum terminet ista librum.

Qui vitae praecepta puer non discere curat,

Stultus is est, poenas stulticiaeque dabit.

Namque suum poterit nunquam oblectare parentem,

Et faciet matri saepe madere genas.

Ipse sibi tamen imprimis damnumque malumque

Concilians, mortis scilicet autor erit.

His equidem & quanda doctrina adiungere quamque

Vtile discendo sit tenuisse, viam.

Coeperam, & in tenui quadam praescripta papyro

Post monita haec morum, conuenienter erant.

Sed melius, siquidem faciendum hoc esse putabo,

Versiculis alias exequar illa meis.

Interea his opera, quicumque iuuabere lectis,

Ingenuo grates ore fatere, mea.

F I N I S.

E 4 DE

Tollet Olympiaca humo X non auferor si mista hic
qui in Olympiaca humo X non auferor si mista hic
in Achaia quo quousq; ad in honore ipsius Olympiacae
celebra hancq; vbi pluri: apud Liv. in 3 Graec.

DE GYMNASIIS.

HOSPES, PVER.

QUID est vsitata vobis facere exercitij?
 P V. Exercitij quid requiris? H O. Sic dico, quia neq₃ libenter corpora puerilia, neque vtiliter quiescunt multum, ideo quo genere quasi Gymnasiorum vtamini scire cupio. Nam fuit hoc inter alia veterum instituta laudatissimum, vt publicè etiam tenella corpora formarentur atque corroborarentur. Quod quidem intercidisse cum maximo detrimento apparet. P V. Sic nostrum quoque magistrum loqui audimus. H O. Etiam hoc amplius aliquid, vt opinor. P V. Rectè opinaris. Nam neque animum rectè curari atque fingi neglecto corpore, neque hoc sine illo posse docet, itaque aut valere simul, aut deficere vtranque disciplinam necesse est. H O. Ita est profecto. P V. Cum igitur eruditio animorum, in qua Musicam primas tenere ait, oppressa esset barbarie, vna cum illa hanc etiam educationis bonitatem fuisse deletam, vt vbi animi essent inculti atq₃ horridi, ibi corpora quoque vasta & immania, aut infirma & muliebria remanerent. H O. Concedit tamen, nisi fallor, etiam priusquam eruditio quasi fruticari denuo cœperit, vsurpasse nostros quoque homines, illosq₃ etiam veteres indoctos atque bellatores multo magis, ad quos ne fama quidem

dem elegantia & doctrina peruenerit : eos igitur
 vſurpaſſe tamen exercitationes, quarum ad pa-
 trum noſtrum memoriam quadam retinuerint ſi-
 militudinem, quo tempore omnis laus & virtus
 gentis noſtrae coepit collabi. P V. Minime falle-
 ris. Sed illa, vt reliquam vitam, dura nimis & aſpe-
 ra fuiſſe exiſtimat. Neque tempori, neque locis,
 neque hominibus accommodari ſolita, plena pe-
 riculi omnia, nonnulla tamen praecipue & omni-
 no quadam praesentis, vt credibile valde ſit, quod
 de Germanis Graeci tradiderunt, conſueuiſſe eos
 primum natos paruulos filios ſuos in flumine mer-
 gere, aquae frigore durantes cutem, quo commo-
 dius adulti aliquando ſub illo celi tractu experi-
 fere caloris, vitam degerent. H O. Quid dicit
 igitur illos feciſſe? P V. Quid enim niſi vehe-
 mentia & intempeſtiua omnia, & impetu quo-
 dam, penesq; furore animi, equitando eoq; in pri-
 mis, currendo, ſaltando, pugnando in equis, &
 pedites, tranando rapidiſſimos amnes, iaciendis
 pro diſco ponderoſiſſimis ſaxis : quid multa? neq;
 modo nec ratione ab illis quicquam eſſe factita-
 tum, itaque non habuiſſe vtilitatis multum Gym-
 naſia illa. Quid quod a refertis cibo ac potu, qui-
bus noſtri parce vti neſciunt, decurſum ad Gym-
naſia, atq; inde ad potationes & epulas reditum,
ac tum demum ad ſomnum deuentum eſſe ſcimus,
 quo quid peruerſius fieri poſſet? Neq; dubium eſt,
 quin ſi qui tali in vita valetudine bona fuerint

& sano corpore, ij longe hoc nomine celeberrimos
 apud veteres antecesserint, quales Milones & Po-
 lydamantas fuisse memorant. H O. Mirum hoc
 videtur. P V. Ita enim bonam fuisse naturam pu-
 tat, vt etiam contraria & inimica sibi assumeret,
 & in bonum conuerteret. Quod cum fiat, nihil
postea illam admodum ledere, vt de Mythridate
rege traditum sit, veneno illum nutriri ad osten-
tationem consueuisse. Sed de his non multum no-
 bis narrat, diligentior in cura vera ac recte insti-
 tutionis. H O. Quid igitur rationis iniuit ipse,
 aut quomodo priora mutat? P V. Audies. Pri-
 mum omnium tempus modumq; praefinit. De tem-
 pore hoc monet. Exercitationes vt ante fiant
quam cibus capiatur. Modus autem pro atate no-
 stra constituitur. H O. De tempore videor in-
 telligere. Nam ante caenam maxime vult exer-
 ceri vos. P V. Intelligis. Sed & aliud est genus
 exercitationis corporibus teneris vtilissimum, quod
 ipse dicit rectius post cibum capepsi. itaque pran-
 dio caenaq; perfundis proponit. H O. Aueo quid
 id sit cognoscere. P V. Magis memini certo
 quam plane intelligo. H O. Dic igitur quod me-
 ministi. P V. Caloris ait fieri beneficio vt cibus
 concoquatur, ad bene autem & commode dige-
rendum subtilitate & tenuitate cum ipsius humo-
ris tum spirituum opus esse. H O. Omnes hoc
 fatentur. P V. Cantare igitur nos iubet, & a
 cibo voce contendere, aut clarum legere, aut reci-
 tare

rare quæ memoria mandauerimus. HO. Eaq̄ effi-
 cere quod dixisti? quo tandem modo? PV. Eo-
 dem quidem omnia sed non similiter, propterea
 quod alia intenta sint magis ac vehementia alijs.
 Nam vocem esse dicit quandam spiritus agitatio-
nem, ventilante aërem lingua quasi flabello, illum
autem motum non esse leuem, neque in ipso palato
nascentem, sed tanquam de fonte ex imis existere
visceribus, atque vt auras matutinas progressu suo
crescere, atq̄ ita peruadentem per totum ab ipsis
pulmonibus corpus cum ipsum calorem quasi in-
flammare, tum vero sanguinis liquidum & pu-
rum incitare flumen. Itaq̄, & venas limpida om-
 nia tum vehere, neq̄ in arterijs quicquam velut
 obicem colligere, quo vitales flatus retusi in corpo-
 re, vt solet tumultuētur. Ex his omnibus hoc com-
 modi consequi docet, vt illis in partibus corporis,
 quæ conceptacula & à Grecis vasa dicuntur, ali-
 monia ipsius & nutritionis instrumenta, nihil spis-
 situdinis, & superflue quasi fecis insideat atq̄ ad-
 haereat. HO. Laudo memoriam tuam, quæ etiam
 ipsa intelligentiam tuam mihi probat. PV. Alias
 rationes absolute exercitationis magis memini de-
 plorare eum solere, quam nobis exponere atq̄ ostē-
 dere: frustra enim se facturum autumat. HO.
 Omnia mihi quæ narras, vehementer placent. Sed
 ad modum redi. Quis igitur modus seruatur? P
 Vides quantulus ego sim meiq̄, æquales ten-
 & paruula corpuscula, ad quæ respicit cum in-
 bet

Quid Vox

bet, quibus nos quasi fatigationibus exerceamus. Et iam hoc considerat, quibus recte liceat in hac aedium angustia, ubi neq; palaestra apparari, neque arena spargi possit, sed ubique suppositum subsit & durum solum. Etsi educimur saepe quidem numero caelo sereno extra portam in campum, ubi luctationes quoque aggredimur, & digladiationes, & pilam iacimus, & spacia decurrimus. H O. Sed nunc umbratica percense. P V. Quae neque palastram neque pulverem desiderent? H O. Ita inquid. P V. Horum est quod suspensos apprehendimus funes, aut tignis in pactam perticant, tenemusq; quam diu possumus. Aut in demissum funem insertis pedibus, progredi quam longissime manibus conamur. Quam solet ipse rem perantiquam utilemq; esse visam dicere, ac nomen nuper pedagogo nostro Graecum illius memorabat. Praeterea consistit aliquis in medio, & brachia aut distendit vnamq; aperit, aut iungit ad pectus atq; implectit, alterumq; qui velit iubet vili inflectere aut explicare. Inter hac linea praesuntur spacia, quatenus retro cedere, aut in obliquum abire concessum sit. Item vnus alterum medium complectitur, iubetq; vinculum eum dissolvere. Nec non manum aliquis comprimit vt pugnus sit, iubetq; alterum explanare, vt fiat palma. am & hoc solemus, designata post vtrunq; linea onserto pectore alte conari ad suam alterum adigere retro lineam. Solemus & mediocre pondus

dus, vno in loco stantes, vel remotius attollere, vel
 aliquo vsque deponere. Huc pertinent & ludi-
 ra, quæ hanc atatem dicit sedentaria decere nulla.
 Qualia quidem totius aleæ fuerint, etsi ex his quo-
 que aliquid nobis permittitur. H O. Metuit cre-
 do ne iuuenes aliquando ignoretis, nisi pueri di-
 diceritis. P V. Vis rationes illius cognoscere:
 H O. Peruolo. P V. Inter iocationes & ludos
 hoc quoque genus ponit. H O. Sed pars hac de-
 decus habet. P V. Ipse sepe dicit, sed hac tem-
 pora consuetudinis vi vincere, & obtinere vt pro-
 flagitiosis aleatores non habeantur, itaque aleæ
 vsum necesse esse valde increbescere. H O. In-
 dulget igitur vobis in vitio? P V. Minime. Ve-
 rum fieri non posse existimat, vt quod omnes con-
 cessum sibi putent, id nobis totum eripiat, & ten-
 tare cum magno discrimine non vult. H O. Quid
 discriminis tibi narras? P V. Scis quid fieri so-
 leat illo tempore, quod autumnum antecedit pro-
 xime, cum fructus omnis generis maturuere? H O.
 Quid ni sciam? Tum enim illi carpuntur edun-
 turq; auide. P V. Fitne hoc utiliter? H O. Pro-
 fluvia ventris & febres & regium malum docent.
 P V. Quid igitur tum matres faciunt? cum me-
 tuunt pueris suis. H O. Quid? certo tempore
 diei aliquid præbent illorum, quo palam modice
 potius vescantur, quam clanculum cum magno de-
 trimento valetudinis si prorsus negentur, sese illis
 repleant P V. Ad eundem modum permittren-
 dum

dum pueris cum alias iocationes atq; ludos, tum
aleam ipsam censet, vt concessis libere vtentes, ne-
gatis facilius abstineant. Ita fruituros studiorum
relaxatione, & copia facta hilaritatis, eaq; conten-
tos, non tam repletos quam recreatos, omnes alias
vsurpationes ludorum atque iocorum vitaturos
esse existimat. H O. De hac parte, & generi-
bus concessorum ludorum, alias te audiam. Nunc
perge motoria ludicra exequi. P V. Veteris ea
sunt moris Graeci, consentanea fere cum nostro,
qualibus ille se dicit potissimum delectari. Ludi-
mus caecum igitur musculum: sic enim vocant:
cum vnus in medio occlusis oculis: circumcurssi-
tantes & vellicantes alios captat. Veteribus fu-
isse aeneam muscam dicit. Solet & aliquis in ter-
go manus constringere, & insidentem genibus
aliquo vsque gestare. Habemus & pilulas ficti-
les quibus certamus, consigentes quiq; suis alio-
rum, & in fossulas certis spacijs inter se distantes,
impellentes, in quo est certa manus laus. Etiam
aeneis numismatis proiectis ad lineam, & in sese,
simile est certamen. Ludimus & quod nostra
lingua Vaccæ latebras nominamus, veteres dicit
vocasse diffugium. H O. Non agnosco. P V.
Vni qui primum sortito constituitur, stanti præ-
finito in loco comprimuntur oculi. Quo facto
discursitamus omnes & latebras quærimus. At
ille prius ter se venturum minari debet quam ocu-
los aperiat. Vbi ter dixit: Venio. Circumit &
vestigat

vestigat omnia loca, si quem conspexit, recur-
 rit in suum locum clamans: Inueni, & ubi, &
 quem explicat, Omnibus igitur studium hoc est,
 illum latentes anteuertere, & in ipsius locum sub-
 ire, quod si quis effecit, & occupauit prius lo-
 cum quam ille, indicat adhuc delitescantibus pro-
 uocatione sua, iubetq; adesse, ita illi iterum oculi
 ut ante concluduntur: Sin ipse inuento aliquo
 recurrit primus in locum suum, is qui inuentus
 est pro ipso conuenit. Est & huiusmodi qua-
 dam nobis in usu discursio: In duas partes distri-
 buimur, Tum sorte ducitur, qui in medio stans
 circumagat orbiculum, cuius vna nigella sit,
 altera candida facies. Sortito autem proprius
 fit alteruter color alteriusutrius partis. Tum ille
 qui orbiculum intorquet acclamat: vel dies vel
 nox. Vtrius igitur partis color apparuerit post
 vertiginis orbiculi, ea fugit, alteri sectantur,
 dum comprehendant aliquem. Atque is postea
 orbiculum versat, & Asinus nuncupatur. H. O.
 Sed inter haec, non enim adesse aliquis semper
 quasi gubernator potest, videre mihi videor
 frequentes incursiones, lapsus, allisiones: tum
 autem in dictis & factis peccata animaduerten-
 da. Quid igitur sit? P. V. Fateor offensiones
 non absunt, neque ipse tamen quicquid omittit
 quo interuerti posse videantur. In ipso vero &
 exercitationum motu & ludorum quiete, igno-
 sci nobis solet, si quid admissum sit & delictum,
 modo

modo absque procacitate, furore, flagitio. His enim veniam negat dari oportere, cuius quidem in alijs locum sibi esse apud magistrum notum exploratumque, pueros habere valde prodesse arbitratur. H O. Ut Contemptores & negligentes reddantur. P V. Minime vero. Ac multo curare ait atque metuere magis, quam si plagis tanquam asini obtundantur. Durari enim assiduitate cum animos tum corpora, ad verbera & obiurgationes quotidianas magistrorum neque in magno tum poni discrimine, fiatne quod illi placeat, an quo offendatur, destinato animo ad malum perpetiendum. Itaque in hoc proposito non solum non vitari delicta, sed ne celari quidem tandem studiose solere. Aut si qui sint molliores, eorum frangi atque debilitari mentes, & quodam servili timore imbui, unde vel illud quod modo dixi incommodum etiam existat, aut contrarium perpetuae trepidationis & formidinis, in qua nihil laudabiliter geri posse affirmat, cum vlla in re, tum maxime literarum atque artium studio, quod voluntate prompta & alacritate contineatur vniuersum. H O. Deducis tu quidem me ad aliam scholam magistri tui, quam recordari habitam ab illo videre. P V. Ita est ut dicis. H O. Vin' igitur mihi gratificari? P V. Si queam. Quod enim non rectum sit, te non esse imperaturum scio. H O. Nunc quidem quia satis verborum factum videtur, hunc finem statuamus colloquio nostro, proxime au-

me autem cum ocium vtrique erit, explicabis mihi
 hanc partem, vel animaduersionis ob delicta, vel
 venia, & quid de verberibus atque plagis tuo
 magistro probeatur, aut improbetur, nam de his
 quae exposuisti, iudicium illius & sententiam ma-
 gni facere incipio. P V. Faciam vt vis. H O. Va-
 le. P V. Et tu vale. Sed quo nunc abis? H O.

Ad ciues meos qui mecum aduenere,
 quibus hanc me operam da-
 turum esse constitui.

P V. Bene am-
 bula.

F P R A E-

PRAECEPTA VI-
TAE, SEV SEPTEM
SAPIENTES.

PROLOGVS.

Saluete spectatores optimi viri,
Et artium atq; virtutis amantissimi.
Si multa sepe spectauistis ludrica
Vestris libenter oculis, in quibus senem
Deciperet seruus, amaret adolescentulus,
Edax parasitus irrideret militem,
Hec etiam agite videte, qua mores probos
Excolere possint & iuuare animi decus,
Ad scenicum apparatus modum non scenica,
Sed plena praeceptis bonis vita bona.
Dedit hos eosdem iam ante ludos versibus,
Qui nomen à veteri sibi sumisit Ausone,
Factos rotundis, vt scitis, sed nos tamen
Actam nihil vetat referre fabulam.
Adeste, nostram alite fauore industriam
Vestro, studiaq; bona ornatè beneuolentia.

PRAECO.

Tace, sileto, quisquis es. Sile, tace.
Aures apertas, fauces compressas habe.
Manus teneto, pedes suo stent in statu.
Deniq; sui omnes quisq; partes corporis

Summas

I-
 Summas, imas, transuersas & medioximas
 Claudat, premat, componat, demtis auribus,
 Quas & patere & arrectas esse volumus,
 Praconium dum fit, dum res ea geritur,
 Praconium cuius fit hoc caussa rei.
 Non auctiorem huc indicturum aut forum,
 Prodire iussus sum, quanquam auctio & forum
 Hac illi erunt sibi esse qui ipse voluerit.
 Venibit utilis doctrina, haud litium
 Sed veritatis iudicia, & fient boni.
 Nunc concionem dum sapientum concio,
 Et nominatim singulos huc euoco,
 Vobis meis danda opera erit sermonibus.
 Mox audietis ipsos diuinos viros,
 Vt arbitrata omnis vere est antiquitas.
 Sed hi viri diuini si peccauerint
 Persona posita flagris cedentur probe:
 Sin dignitatem acceptam custodiuerint,
 Vino cibisq; lautis atq; laudibus
 Affecti, discedent probatiq; omnibus.

S O L O N P R I M V S.

Nunc heus tu qui istic cogitabundus tuum
 Labrum videre velle circumrodere,
 Ne sit nihil tibi postea oris, huc ades.
 Et quid velis mox dicito, & quid afferas.
 Nam quos hic cernis, non gaudent inanibus.
 Hic ille magnus, spectatores, est Solon,
 Qui iactitauit in aulis, in conclauibus,

In angiportis, via, agro, ubiq, gentium,
Illud suum τέλος πάντων ἕσται βίου.
Assiste dum socios vna hic statuo tuos.

THALES, II.

Vbi est Thales? Hic est Thales Milesius,
Qui principatum esse voluit dudum suum,
Et anteponi legum scriptori Attico.
Nam siderum hic & leges nouit aetheris.
Hic multum dixit breuiter, omnes id sciunt
Qui non obedisse post factum dolent.
Εγγύασι πάντα δ' ἄτην. falsum est? nemo ait.

Spondeto noxa
prosto e.

CHILON, III.

Lacon adesto cum Scytala Laconica.
Chilona, Spectatores, hunc Sparie tulit.
Huius γῶδι illud σῶτον verbum est nobile,
Quod poste quondam est consecratum Delphico.

Nofa teiponim?

BIAS, IIII.

Maneto tu. Tu accedito huc Ionice
Cum codice, hic caussas orauit optime,
Bias Prienarum ortus vrbe in Ionia.
Verbum huius est quod dixit, οἱ πλείονες κακοί.

malorum via
plura.

PITTACVS, V.

Sta iam illico. Heus tu Mytilenae quin ades
Cum Scipione, apta senecta lancea.
Hic illud verbum protulit pulcerrimum
Quod & Terentio placuit, μηδὲν ἄγαν.

No gdnimis

CLEO-



C L E O B U L V S, V I.

Cleobule cessas? adueni huc enigmatum

Poëta. Sed dic plane quid velis tibi.

Nos non sumus Oedipi. ἀεῖς οὖν huius est μέτερον.

medivm terrarū
buati.

P E R I A N D E R, V I I.

Assiste tu cum sceptro coram hic septimus.

Quid indignare quassabundis gressibus?

Te regulum omnium vltimum excitarier:

Sapientia nunc spectatur non potentia.

Hic cum vxorem ipse necasset iratus suam.

Tum sic coepit monere alios, ὀργῆς κατ'εἶν.

Valete, ego abeo. Nunc vos isthinc singuli

Dehinc singulatim singulas sententias

Vt vultis ut q₃ iussi estis, proponite,

Egressi paulum quiq₃ suo in medium huc loco.

Imprandamirā

S O L O N A T H E -
N I E N S I S.

Mihi principatum primum tribuit patria.

Deinde legum scita sanctarum optima,

Tum, si quis hoc magni quoq₃ facit, quod duos

Instruxerim reges, conseruarim alterum.

Nam nota certe est Lydia vobis fabula.

Itaq₃ in proscenium princeps hoc prodeo,

Solon Athenis natus, altusq₃ Atticis,

Communicaturus sapientiam meam

Humanitate cum vestra, optimi viri.

Nam nullus occultarum est vsus artium.

F 3

Sed

Sed optimarum legum praecepta optima
 Memorare longum, & forte superuacaneum.
 Ergo illa mitto, & monita doctrinae exequar,
 Meoq; animo quae placuerunt, sententias,
 Ut Atticam perspiciatis sapientiam.
 Diem ante suum, beatum dicas neminem.
 Par iungito pari, equalitas res optima est.
 Castiga clanculum amicum, laudato palam.
 Non nasci sed re fieri laus est nobilem.
 Stultum dolere damnis est fatalibus,
 Sed rebus in dubijs timere stultius.
 Nulli fac habeas temere in vllare fidem.
 Mentiri quisquis audet, audet omnia.
 Vita improborum semper consuetudinem.
 Latere numen posse nil speres Dei.
 Contra Deum loqui, misera res & mala est.
 Nemo nocebit illi quem regit Deus.
 Sed nunc apophthegma vsus quo sum maxime
 Dictum breue & rotundum, paulo spissius
 Linguae sono peregrinae vobis exprimam,
 Quod dudum verbis praeco Graecis protulit:
 Durantis cui terminum considera.
 Dixi, Valet, & monita facite sedulo.

THALES MILESIUS.

A S S V M Mileti genitus vrbe nobili,
 Sapientiae inter principes primus Thales.
Quanquam Solon me hic gloriosus Atticus

Repressis

Repressit vt secundo huc exirem loco,
 Sed adiuuat me omnis iudicium Græcia,
 Quæ si quis scite quid faceret aut diceret,
 Hominem meo de nomine vocauit Thalem.
 Per multa possem de inuentis loqui meis.
 Et commemorare quæ præclare gesserim.
 Sed tempus hoc referendis in sententijs
 Consumere utilibus malo vitæ & bonis,
 Quas nunc deinceps percensebo singulas,
 T E maxime omnium omnia in facinore metue.
 Vita est caduca, gloria æternum viget.
 Apprime in vita est utile, vt ne quid nimis.
 Non facta modo sed cogitata videt Deus.
 Ne forma, sed animus vt niteat, stude tuus.
 Se nosse maximus est mortalibus labor.
 Quæ facta carpis aliorum, ne feceris.
 Patri quod feceris, à natis spera tuis.
 Honore dignos semper afficito senes.
 Is qui magistratum colit, paret Deo.
 Quo verbo sum breui & acuto vsus, plurimum
 Memorem vobis, vti Solon dudum suum,
 Nisi memorassem inter prius sententias,
 Sed aliud Græca mihi Præco voce tribuit,
 Id tale, si Latine audire vultis, est:
 DAMNOSA semper pro alijs opposita est fides.
 Valet, & studia bonarum colitote artium.
 Neq; ornamentum his aliud maius ducite,
 Neq; lucrum his aliud ducite luculentius.

86 LVDVS SEPTIM
CHILON LACEDAE-
MONIVS.

Probare rebus doctus sum sapientiam,
Non multa verba facere didici, sed magis
Patria hunc suum morem Sparta indidit mihi.
Laudis cupido quanta animo fuerit meo:
Cognoscite ex hoc. nati me iugulat decus
Cum cernerem victoriam iuuenis senex,
Et debilem ingens gaudium animam excluderet,
Sed non tamen prudenter nulla ego monui,
Quae nunc exponere lubet, si per vos licet.
NE metuat me impotens, neu despiciat potens.
Beneficij statim obliuiscaris dati.
Prosternit ardua, erigit humilia Deus.
Lingua maledica ipsa aurem imprimis ledit suam.
Vita maledicere sancto facinus pessimum.
Aurum est corticula, animus auro explorabilis,
Caueto semper ne lingua ante animum voles.
Occidit hominem fraudulenta calumnia.
Nō lingua lingua est maledica, quid ergo? gladius.
Nunc meū apophthegma Latina edam vocis sono.
I P S E intus te studeto & in cute noscere.
Valets. Factis exprimate sapientiam.
Frustra sapit qui verbis non rebus sapit.

BIAS PRIENENSIS.

Priene me tulere Ionia ciuitas,
Eripere quam mihi hostis vi potuit sua.
Cum hac facultatum etiam quicquid habueram.
Sed

Lingua non ante
herbat mouit.

Sed quod reconditum sapienti animo fuit,
 Mecum omne deportavi, itaq; diues & adeo
 Remansi, vt impertire alijs sit copia,
 Pulcerrimorum claras praeceptorum opes.
 Sed multi non curant, ac potius plurimi.
 Nam quis non etatem stultus suam & improbus
 Multo esse malit, auro argentoq; affluens,
 Quam vir sine illis optimus & doctissimus?
 Hoc me male, vt verum loquar, profecto habet.
 Itaq; hoc ego clamo, hoc ego semper prae dico,
 P L V R E S vbiq; reperiri semper malos.
 Sed & has docui morum & vitae sententias:
 N I L conscientia optabilius est bona.
 Maxima hominum pestis sunt ipsi homines sibi.
 Qui nil cupit dis est, pauper cui nil satis.
 Mens est nocere nolle cum possis bona,
 Nocere velle cum nequeas mens est mala.
 Benefactorum omnium autorem facito Deum.
 Puer ad senectam artis viaticum para.
 Pudicitia omnium est dos preciosissima.
 Ne statue cito, verum statuta perfice. *Diu deliberandum cito
facientium.*
 Sortis caue vnquam admiratus sis munera.
 Furtum scelestum mentis est, mendacium.
 Tantum est, Valet, & virtutis colite bonum.

P I T T A C V S M Y T I -
 L E N A E V S .

Lesbo genitus huc Pittacus ad vos prodeo.
 Cui Thraciam quidam attribuere patriam.

F S Quid

Quid est in hoc vero discriminis obsecro?
 Certe omnium est communis hominum natio.
 Non barbarum natura, sed studium facit.
 Et elegantes fiunt, nemo gignitur,
 Emendauisse patrie, laus est, dedecus.
 Sed Pittacum seu Thrace, seu Lesbos, tulit.
 Celebrant prolata, quas dicam, sententia.
 Tacere discat, ritè qui loqui cupit,
 Multi improbent mali, vnus dum probet bonus.
 Si quam tulisti legem, ne violes caue.
 Bonum esse, res est difficilis & ardua.
 Malis caue inuideas, derideas bonos.
 Fortuna amicitias aduersa examinat.
 Ingenia maxime hominum, honores indicant.
 Prudentis est cauere malum, fortis pati.
 Aptissima omnium, res rerum occasio.
 Rebus parem & generi vxorem eligas tuo.
 Res nullo honesto & casto dulcior toro.
 Quo sum frequenter verbo vsus, Tempus moned
 Esse obseruandum, vt absit importunitas.
 Sed praeo nostrum esse aliud haud peius putat.
 Neq; ego reijcio, vt illum audistis dicere.
 Hoc si Latine dixero, vt Terentius,
 Dixisse sat Latine puto? NE quid nimis.
 Valetè, & virtutem colite in vita ac decus,
 Nam praeter laudem quicquid ortum est, occidit.

CLEOBVLVS LYNDIVS

EX RHODO.

Non

Non vt generis exponam clari originem.
 Quod ad Herculem referatur, aduenio, in Rhodo.
 Natus Cleobulus vrbe patria Lyndius
 Neq₃ enim opera esse audire vobis hac scio
 Sed vt fecere alij meam sapientiam
 Paucis comprehensam dictis hic edisseram,
 Instructionem vitæ habituris haud malam.
 Quo eris potentior, hoc superbias minus.
 Alijs libenter ignosce, grauatè tibi.
 Dare veniam peccatis virtuti nocet.
 Hereditas bonorum non decoris venit.
 Amici insidias, hostis vita iniurias.
 Audire multa maueis quam dicere.
 Virtutis opus est primum, vitiorum fuga.
 Nunquam voluptati indulgere bonum putes.
 Libidinem frenare laus est maxima.
 Nullæ eruditione meliores opes.
 Nil perfido esse detestabilius potest,
 Quod praeo verbum esse propriū autumat meum.
 Graece audistis dictum, nunc cognoscite
 Verbis latinis optimam sententiam:
 M O D V M tenere in rebus optimum omnibus.
 Valet. Sat dictum est, qui facere voluerit.

P E R I A N D E R
C O R I N T H V I S.

Ephyrae vetusto Periander natus solo,
 Vbi mare cogens terram in arctum, nobilem.
 Vtrinq₃ vidit & potentem urbem prius,

Nunc


Nunc vasta sunt, ut alia, & haec loca Gracia.
 Ad vos venire nunc etiam placuit mihi,
 Ut intelligeretis quid esset, Mortuos
 Prodesse viuis, absentes presentibus
 Nam qua iuuare quondam re consueueram
 Mortalium vitam, cum vixi & florui,
 Eadem, nisi non vultis, & vos iuvero,
 Praecepta vera commemorans sapientiae.
 Quid queritis? Corinthius ne sim ille ego
 Tyrannis ortus e parente Cypselo:
 An vero eodem: Ambraciotas nomine,
 Tyrannidem utilitas inuenit publica.
 Ita improbum humanum est ingenium liberum,
 Cogi, regi, premi, & affligi volunt.
 Sed haec superuacanea disputatio.
 Adesto quaeso, & quae dicam cognoscite.
I N S A N I T, utile qui de recto separat.
 Mortem nec vnquam optes, nec vnquam exhorreas.
 Quod perpeti necesse est, perpeti velis.
 Quem quisque metuit, odit & perire vult.
 Ne tollere secundis, ne aduersis mergere.
 Perit voluptas, virtus immortalis est.
 Promissa facito, si careat scelere fides.
 Nihil est inexpugnabile diligentia.
 Oculos, manus, mentem, ab alienis contine.
 Fons est malorum cupiditas mala omnium.
 Non est manus, sed cordis, innocentia.
 Meum esse dictum retur praeco: Iram tene.
 Sed mihi magis cordi alterum est quod eloquar:
In

*In omni re meditatio plurimum prodest,
Valete, & hoc tenere atq; meditamini,
Possitis ut multam omnibus in rebus bonis.*

C L A V S V L A.

*I S T I hinc abierunt oppletis auribus
Vestris, sua praeceptionis loquentia.
Dixere multa illi quidem egregia & bona,
Sed quae dixere, quamuis egregia & bona,
Leuiora multo pluma & sunt folio arido,
Nisi illa in animos vos vestros dimittitis,
Et penitus pectori atq; cordi infigitis,
Ac mox factis rebusq; ipsi studueritis,
Quasi ad viuum quaedam exprimere vitæ modum.
Sed hæc monere vos nequaquam me decet
Rerum peritos, optimarum & artium,
Præstare factis non inani loquentia
Virtutis esse, qui scitis decorisq; opus.
Valete, literasq; bonas defendite,
Et literis bonis patrocinamini,
Sic vndiq; omnia vobis adueniant bona.*

F I N I S.



EXPOSITIO
VERSVM SOLO-
NIS, ET ALIORVM
QVORVNDAM VETE-
rum, Latina.

ET COMMENTA-
TIO DE HIS,

IOACHIMICAME-
RARII PABEPERG.



Lipsiæ.

AD INCLITVM
 PRINCIPEM IOANNEM
 ALBERTVM, DVCEM MEGA-
 lopurgensem, Principem illustrissi-
 mum, Ioachimi Camerarij
 Pabeperg. proce-
 mium.

SAEPERECORDORNON
*Stam humaniss. sermonum quam eru-
 dita orationis tuae, Princeps Iohannes Al-
 berte, quam nuper hac transiens mecum
 accersito ad te familiarissime & pruden-
 tissime habuisti. Et quia intellexi te di-
 sputationibus sapientiae atq; doctrinae de-
 lectari, putavi esse faciendum, ut in hoc
 genere aliquid commentationum ad te
 mearum mitterem. Itaq; visum fuit in-
 stituta quaedam ante annum, quae seposita
 nuper forte incidissent in manus meas, ab-
 soluere, & hac compellatione, quam tuae
 Illustriss. humanitati & virtuti non in-
 gratam futuram esse sperabam, augere.*
*Quoniã autem scribebantur hac ad pru-
 dentem & literis eruditum Principem,*

G

non

non dubitavi formã etiam orationis propriam in suo genere usurpare, ne corrumpere verborum sententiarumq; consequentiam, inculcando debitos quidem illos illustriss. præstantiæ tuæ titulos & vera laudis nomina sed aliena ab linguæ Latine consuetudine ac usu. Hoc in quacunque partem alij accepturi essent, non laborabam, si uni tibi, ut mihi persuadebam, probaretur. Arrisit autem mihi huius commendationis descriptio, de memoria eorum quæ tu princeps Ioannes Alberte, præclare tum differuisti inter quasdam, ut fit, familiares contentiones: de causis & consilijs & fortuna belli civilis, quod C. Cesar cum genero suo gessit: Cum tandem ea commemorares, quæ sapientiss. illius ætatis hominum iudicia & cogitationes conturbarunt, de euentu rerum illarum. Itaque indignans Cicero ob hunc exitum Attico scripsit de Pompeio, malas causas semper obtinuit, in bona concidit. Non enim explicat hæc humanæ intelligentiæ sagacitas, & consideratio

ratio

ratio inter ista adheret, et animus irascitur. Qui motus quo natura excellentiores sunt, eo existunt vehementiores, usque adeo, ut confuso iudicio & sententia deprauata, in desperatione extrema aliqui a seipsis manus non abstinuerint. Sic Brutus, sic Cassius, Viri magni & docti, sic Antonius homo bellator & furiosus, interiere. Quod si intueatur aliquis in ea, quae ab Anno Christi Iesu M. D. XLVI. hoc, ut ita dicam, lustro acciderunt, non poterit, non ipse, nisi plane demens sit, aut fatuus, diuersis variisque cogitationibus conflictari, & multiplices sententias versare animo suo. Ego vero malo haec tanquam in speculo alienorum casuum contemplari, quam nostri temporis & popularibus euentis aspicere. Est autem, si quis fructus percipi inde potest, equalis cum illinc tamen minus afferat tristitiae consideratio. Homines enim atque negotia mutantur, consilia actionesque re vera eadem sunt. Expediunt autem & laudantur, ex alienis lapsibus atque delictis, non

G 2 gloriam

gloriam quidem sibi querere, sed capere
documentum: ut non premere iacentes,
sed exemplo instrui studeamus. De his igitur
quid in mentem mihi venerit, conuer-
tenti versus quosdam sapiētū veterum,
in Latinos, Tua illustriss. virtus & sa-
pientia cognoscat. Neq; ducat principe
indignam harum rerum cognitionem, ne-
que studium alienum literarum, neque
occupationem doctrinae & respectum, illi-
beralem. Non deteritur hac cura aliquid
de laude fortitudinis, quæ in armis nunc
sola conspici, & ferocia contineri creditur,
Sed inter tales cogitationes et actiones illa
ipsa quoque augetur & confirmatur. Id
quod et sapientissimus poëta Homerus in-
dicat, cum fortissimum Heroa Achillem
carminibus & historia prisca oblectasse
scribit ocium suum. Nimirum illa se con-
sideratione instruentem & excitantem ad
facta laudabilia et facinora virtutis. Sed
id quod tua Illustriss. sapientia et virtus
facit præpostere moneo ut facias, nisi ita
accipiantur hæc, ut non monitio ista sed
appro-

approbatio & testimonium iudicij voluntatisq; & studij tui esse videatur, secundum Poëta sententiam:

*Qui monet vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.*

*De his igitur satis, ac nunc ad expositionē versuum procedat descriptio, quā
commentatio nostra, quasi explicatio sequetur.*

G 3 V E R-

12

ad hoc et ad illud quod dicitur in scripturis
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis

quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis

De his igitur scriptis, ad hoc et ad illud
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis
quod dicitur in scripturis et dicitur in scripturis

G 3



VERSUS SOLONIS

ATHENIENSIS.

M Nemosynes summiq³ Iouis clariss. proles
 Musa Pierides, vota mea accipite:
 A dijs prosperitas per vos mihi detur, & inter
 Sint homines fama nomina clara mea.
 Iis sim qui me odere grauis, iucundus amicis,
 Illi me metuant, hi coluisse velint:
 Contingant mihi opes. Sed vis cum fraudib. absit,
 Pœna solet semper facta nefanda sequi.
 Nã quas diuitias confert Deus, has quoq³ firmas
 Praestat, & ad summum funditus accumulât.
 Sed quarum cupidis caussa est iniuria, prauos,
 Progressusq³ male turpeq³ crimen habent.
 Atq³ trahens vis inuitas in damna retorquet,
 Estq³ harum flammæ principium simile.
 Desinit inq³ oriens leuis acres noxa dolores,
 Ausa etenim durant impia nulla diu.
 Nam Iouis ante oculos finis stat, qui subito illa
 Dissipat, vt nubes Africus aërias.
 Cum pelago vernas commoto perculit vndas,
 Frugiferamq³ furens depopulatus humum.
 Cœlestem reperit sedem soluitq³ tenebras,
 Et Phœbum pulsa nube redire facit.
 Hæc Iouis est vindicta, sed iræ non subito ille,
 Sicut homo, laxat concita frena sua.
 Nec quoties peccare videt sua fulmina mittit,
 Et nunquam tamen huic impia corda latent.

G 4

Tandem

Tandem igitur res sit manifesta, & debita factis
 Turpibus, ad poenas ultio progreditur.
 Quæ si quando moram nectens cessauerit, ut se
 Contineant fati damna dolorifici:
 Post tamen erumpit. Sæpe & facinus luit insons
 Illorum soboles, totaq; posteritas.
 At nos mortalis, sic omnes, turba putamus,
 Tam gravitate boni quam leuitate mali:
 Optima quod sit quæ cuiq; est sententia cordi,
 Quam dum fortuna est prospera, quisq; tenet.
 Ac vice versa animos queruli mutamus, & inter
 Hæc volitat penna spes agitata leui:
 Huic inhiant omnes. Morbis iacet obruta vita,
 Cura salutiferam prouida querit opem.
 Alter quem metus exercet, fortem perhiberi,
 Se cupit & reperit qui timidum esse negent.
 Deformis formæ sibi confert alter honorem,
 Vndiq; inops famam colligit alter opum,
 Vt graue paupertatis onus probrumq; repellat,
 Nec tamen vnum omnes ingrediuntur iter.
 Namq; alius pelagi per fluctus nauibus errat,
 Inq; procellosis lucra requirit aquis,
 Venterumq; minas vndaq; pericula spernens,
 Est etiam vitæ prodigus ipse suæ.
 Hic findit sola terrarum, seruire paratus
 Iis, qui multa boni iugera ruris arant.
 Ille Minerua tuis & Mulciber artibus instat,
 Et querit dura pabula rara manu.
 Alter Olympiadum Musarum munera doctus,
 Ingenium

Ingenium studijs dedicat omne bonis.
 Est cui scire dedit fatorum arcana, maliq;
 Tristia venturi tempora nosse, Deus:
 Quo comite hæc fiunt. Sed fati victima cursum
 Nulla teneat, nullum præpetis omen auis.
 Sunt artem medici edocti Pæone magistro,
 Fineq; deficiens ars caret illa suo.
 Sæpe etenim est paruus dolor acris caussa laboris,
 Nec medicina potest ferre salutis opem.
 At alium in morbi cruciatu membra solutum,
 Fida leuat curæ dextra Machaonia
 Parca bonum tamen atq; malum mortalib. addit,
 Nec fuga diuini muneris vlla patet.
 Nullaq; res expers discriminis est, neq; finem
 Cœpta homines qualem sint habitura vident.
 Atq; aliquid præclare agere hic aggressus, aberrat,
 Inuenit & studio damna malumq; suo.
 Ille nihil recte facit: at successibus auget
 Hunc tamen et præbet commoda multa, Deus.
 Diuitiæ certum nec habent finemue modumue,
 Magnaq; res hoc est tempore parta quibus,
 Bis tantum hi quærunt. Sed quis satiauerit omnes?
 Larga dat vnius dextera lucra Dei.
 Ex his noxa oritur tamen, hæc missa à Ioue nunc
 Afflictura petit, mox aliosq; petit. (hos

VERSUS RHIANI.

G S

Scilicet

Scilicet omnibus est mortalibus insitus error.
 Quaeq; dat ipse Deus non aequa munera lance
 Accipimus stultis animis. Hic pauper & expers
 Errat, & impuro magnis conuicia diuis
 Ore facit sese afflictaans neq; pectore constat
 Virtutis sensus. Nec quoduis loquatur agauie
 Repperit, aspiciens opibusq; & honore potentes.
 Interea insanis roduntur pectora curis,
 Et mens tristifico consumitur agra dolore.
 Ille sed in laeta vehitur qui parte beatus,
 Auctus & à diuis opulenti munere regni,
 Non sibi iam terram pedibus calcare videtur,
 Oblitusq; suos mortales esse parentes.
 Stulticia fastuq; fremens sese ipse Tonanti
 Comparat, & caput in cervicibus erigit altum,
 Vltimusq; effert detorto corpore paruus,
 Coniugiumq; dea votis audacibus ambit
 Cecropia in summum & quae ducat semita coelum
 Vestigat, quarens epulis assidere diuum.
 At pedibus teneris affectans noxa, superne
 Verticibus calcem impingit, neq; cernitur vlli,
 Ac specie iuuenes interdum fallit anili,
 Interdum senibus iuuenilia damna refundit:
 Letificansq; Iouem dea poenis iusticiamq;.

M I M-

MIMNERMI

versus.

Conspicua vt folijs sunt florida tempora veris,
 Quando noua gestit crescere luce dies:
 Sic quantum est cubiti spaciū, nos tam breue vita,
 Et teneræ ætatis gaudia percipimus.
 Ignari prauis atq; bonis. Sed fata propinquant
 Interea, cultu tristia fata nigro.
 Et grauis alterius comes est inamœna senectus,
 Alterius stipat mors violenta latus.
 Aetatisq; perit cito flos, instarq; diei
 Durat ab exorto lumine ad occiduum.
 Hoc vbi præterijt mersum caligine tempus,
 Quam vixisse, mori rectius esse putes,
 Nam mala multa animus tum sentit, siue domi res.
 Deficiens inopis corda fatigat heri:
 Siue heredis egens opulentia, dum cupit illas
 Linquere opus natis sic obit orba diem.
 Iamq; aliquis morbis crudelibus excruciat,ur,
 Nec quisquã est cui non det mala multa Deus.

C O M-

COMMENTATIO IOACHIMI CAMERARII.

Solonis versus excerpti sunt de Poëmatibus illius, & conseruati à collectoribus sententiarum veterum. Fuit autem Solon & sapiens vnus ex septem & legum scriptor solus ex septem, vt ait Cicero: Cuius aetas incidit in id tempus quo Cræsus Rex Lydorum imperium amisit victus & captus à Cyro. Floruisse eum tradunt Olympiade XLVI. Composuit autem Solon multos versus, de moribus & vita maxime, deq; Republica. Suas etiam leges conatus versibus comprehendere. Hoc enim tum scriptores genere utebantur, orationis inquam definitæ numeris & certarum conuersionum, quas demerentes ex eo illam formam præterea & versus contrariam prosæ appellarunt. Est autem veterum omnium oratio simplex & communis modi, ideoq; cura & artis exquisitio illa quidem scripta non commendat, sed naturalis fluxus & facilitas gratiã venustatemq; his summam adiungit. Itaq; neq; talibus versibus neq; veterum soluta oratione qualis est Herodoti, suauius fieri possit quicquam. Nos conuersionem etiam autem anxie elaborare nolimus, sententiam autem Græcorum diligenter studuimus exprimere. De hoc igitur hætenus.

Mimnermus attigit aetatem septem sapientum.

Et

Et extant apud Laërtium versus illius & ad ipsum Solonis, de longissimo spacio vitæ humana. Nam cum Mimnermus fecisset,

Expertem me vtinam morborum tristitiæq̃

Post sexaginta tempora Parca necet.

Scribit Laërtius Solonem petiisse vt moneri se pateretur, & corrigeret votum illud, versumq̃ sic mutaret.

Post octoginta tempora parca necet.

Quod vita humana ad octogesimum annum recte produci posset, cuius tamen finem idem apud Herodotum facit septuagesimum annum.

Facit huius mentionem Horatius quoque in epistola ad Numicum:

Si, Mimnermus vti censet, sine amore iocisq̃

Nil est iucundum, viuas in amore iocisq̃.

Extant autem Mimnermi versus apud Plutarchum in libello de Virtute morali:

τίς δὲ χάρις τί δὲ τεύπνον ἄνευ χροσῆς ἀφροδίτης;
τεθνάσω ὅτε μοι μηκέτι τῶν δὲ μέλοι.

Rhianus posterior fuit satis longo tempore. Nam equalem faciunt hunc Eratostheni, qui vixit Olympiade CXXXIII.

Quod attinet ad doctrinam horum versuum, ea est sapientie & cogitationum atq̃ rationis hominum. Nam miseriam esse generis sui maximam & omnia plena peccatis ac erroribus, & conatus honesti atque recti frustrari euentum, & esse voluntatem prauam, neq̃ vllum in terris stabile

bile bonum, cognoscit atq; videt mens humana: Et dolet & circumspicit ac querit consolationem, & in hoc sese varie versat, modo hoc, modo illud arripiens, plane aliud, quemadmodum dicitur, vt ex alio incidit. De quibus ratiocinantes tandem concludunt id quod inter Theognidis gnomas legitur:

Non nasci esse bonum, aut natum cito morte potiri.

Sicut interpretatus fuit Ausonius breuiter.

Fit autem vt tum audaces eousq; esserantur, vt omnia temere atque fortuito, nemine vel monente vel gubernante fieri perhibeant: ad quod concursus illos minutiss. corporum Democriti assumerunt, quibus quo magis fortuiti casus essent, Epicurus postea declinationem dissentaneam addidit disputationibus non admodum eruditis.

Alij callidiores fatali necessitate deuinciunt vniuersa, ad quam Stoici consequentiam caussarum & auream Homeri catenam accommodarunt. Alij sibi queng; relinquentes diuinitatem attribuere animis id est, omnem effectiorem & vim tam boni quam mali. Vt ille de cuius sententia Ouidius fecit, Deus est sibi quisq;.

Et Euripides, Qui animum Deum esse pronunciauit. Qui tamen idem alibi dubitat, vtrum Deus necessitas nature, an mortalium mens perhibendus esse videatur. Sic enim Hecuba ait in Troadib. Ζεὺς εἶτ' ἀνάγκη φύσιν, εἶτε νόσος θεῶν.

Hoc

Hoc dogma Anaxagoræ putatur esse. Sed spectat tamen horum etiam iste Deus aliud potentius & augustius numen, seq, & accusat sæpe, & penitentia ducitur, & se damnat. Redit igitur consideratio ad aliquid in quo absoluta sit diuinitas, id est, quod ipsum nulla alia extrinsecus vi impellatur, neque causa alia moueatur, sed principium sit & causa agitationis aliorum omnium. Ad hunc igitur omnipotentem Deum, autorem & gubernatorem omnium, quicquid conetur humana cogitatio, tandem relabitur. Sed hanc eximiam naturam rursum, in ipsa natura huius mundi vniuersa principem vim quasi vagari & includi quidam voluerunt, vt Aristoteles. Etsi interdum idem quasi vaticinans de Deo loquitur splendidus. Quidam Aethera, id est, lucem & fulgorem ambientem totum mundum Deum fecerunt. Vnde etiam quasi decerpti animi diuinitatem traderunt. Hoc & Euripidi placuit, & ipsum Anaxagoreum esse apparet.

Sic enim ille in Helena:

Mens mortuorum non quidem viuit magis,
Sententia sed immortalis prædita est,
In aethera immortalem vbi proruperit.

Ad hanc sententiam mutando sententiam & Aristoteles alicubi defertur. De cuius inconstantia Cicero hæc scripsit in primo libro de Natura D. Aristoteles quoque multa turbat à magistro Platone dissentiens. Modo enim menti

tribuit

tribuit omnē diuinitatem: modo mundum ipsum Deum dicit esse, modo alium quendam præficit mundo, eiq̄ eas partes tribuit, vt replicatione quadam mundi, motum regat atque tueatur. Tum celi ardorem Deum dicit esse, non intelligens celum mundi esse partem, quem alio loco ipse designauerit esse Deum. Plato quidem plane extramundum & supra naturam rerum Deum collocat, siue re ipsa, seu cogitatione & verbis. Hoc enim certe vult ille in *Timeo* fabricator mundi. Nam qui opus condit, is in sua illud habet manu & potestate, non inheret huic quasi testæ cochlea, aut concretus est vt radix cum arbore. Hæc igitur Socratis doctrina est, plena secundum captum hominum pietatis, quamuis ille vt parum sanctus deorum cultor, pœna capitis à suis ciuibus affectus fuerit. Ex quo apparet à superstitiosis quoque disputationes istas superstitiosas fuisse habitas. Neque obscurum est, Socraticos plerosque nimio religionis studio falsis per se cultibus absurditatem aliquam adiunxisse: Cum omnes diuinationis susurrus aucuparentur, & nulla fana ac sigilla non venerarentur. Permansit tamen hoc inconuulsum in varia ingeniorum astutia & sagacitate, quippe consentaneum cum natura iudicio ac lege, quæ omnium gentium consensione firmatur, vt statuerent ciuitates ac populi, Esse Numen diuinum efficiens omnium quæ in mundo acciderent, à quo salus ac conseruatio, & auersio in

sio interitus atq; pernicia petenda esset. Est & hoc persuasum, hoc ipsum numen aliquo erga homines respectu moueri, & conciliari fauorem ipsius bonis iram sentire malos. Ex hoc constituitur, eorum, qua laudem & premia, & contra qua vituperationem ac pœnas mereantur, qua virtutes dicuntur & vicia, causas non extrinsecus aduenire, sed esse in nobis, id est, τὸ ἀρχὴ τούτων εἶναι ἐφ' ἡμῶν. Itaq; tam Dei quam hominum fauorem ac odium ab vnoquoq; proprijs consilijs actionibusq; commoueri sentimus. Neque enim quisquam amari à Deo credit improbos & iniustos atque sceleratos, & semper diligi pios & innocentes & probos. (Quamuis saepe hominum iudicia de his, & voluntates erga hos varientur) secundum hoc Sophocleum, τὸ δὲ σὺ φρονεῖς θεοὶ φιλοδοῖς καὶ εὐνοδοῖς τὸ κακὸς. Itaque celebrationes numinis diuini, & expiationes delictorum humanorum, & placationes iræ diuinæ, in omnium gentium religione inueniuntur. Etsi Plato flecti Deum ad misericordiam posse precibus ac votis & sacrificijs, & his impetrabilem esse veniam peccatorum, persuaderi hominibus non oportere putat, quod hac opinio multorum scelerum occasionem prabitura esse videatur: Sed hanc tamen omnium hominum consensus approbavit. Ideoq; oratur Deus, vt & bona tribuat & auertat mala. Et quoniam fieri posse creditur vt præceptis & monitis homines meliores reddantur, (Quod enim de fortitudine Euripides

pides dicit, hanc à doctrina inferi, siquidem do-
 ceri pueros quoque ea loqui ac audire quæ non
 didicerint, id de alijs quoque virtutibus accipi-
 endum.) Similiter quia existimantur vel ipsi ali-
 qui castigatione & pœnis coherceri, vel alij ho-
 rum exemplo deterreri à malefaciendo: Ideo &
 leges promulgantur ac sanciantur, & parentes
 præcepta vitæ ac morum dant liberis suis, & ma-
 gistri bonarum artium conducuntur, & sapien-
 tes componunt libro de honestis & turpibus, do-
 centes illa fieri & expeti, hæc vitari ac fugi oport-
 ere. His etiam inseruntur atque admiscuntur
 deplorationes miseriæ hominum & querelæ de
 prauitate, & præconia virtutis, & vota commo-
 dorum, quorum illa mentio ea sapiß. accidere
 quæ nolimus declarat, hæc quasi exultat de pro-
 speritate aut spe. Etsi autem in summa, homi-
 num (cuius semel iam atque iterum meminimus)
 consensio & ratio, hæc conuenire & concordare
 vult, tamen de bonis & malis, quorum illa na-
 tura sequitur, hæc refugit, non est omnium ea-
 dem sententia. Eo fit vt inter professores sapien-
 tiæ controuersie sint, & quasi simultates, vt ita
 dicam, exerceantur. Quinetiam in vnius eius-
 demq; discipline tractatione, diuersa doctrina re-
 peritur. Sed vitæ hominum ita degitur, vt tota
 inter læta atque tristia, seu iucunda & molesta
 traducatur. Est autem vtrorumq; sensus natu-
 ralis, vt illa non accurata exquisitione calliditatis,
 sed

sed simplici iudicio veritatis constituantur. Nam
 & sensibus contraria, quaeq; hos pungunt, dolo-
 rem afferre solent, & quicquid est eiusmodi, ut
 saluti ac vita itemq; prospero atque secundo cui-
 dam cursui huius aduersari videatur, id animum
 vel praesentis mali quasi morsu vel impendentis
 metu percellit. Quae vero his contraria sunt &
 bona vocantur, id est, quae salutem tuentur & vi-
 tam commodis augent, ea igitur naturaliter ex-
 petimus, & his praesentibus gaudemus. Cum au-
 tem in vnaquaq; natura id opt. sit, quod illi na-
 tura est convenientissimum, Nihil melius homini
 esse potest cultu virtutis, cum sola peculiaris ho-
 minis natura, id est, mens & intelligentia hanc
 probet & admiretur. Hic iam campus aperitur
 virtutis & vitiorum, id est, laudis ac decoris, in-
 famiaq; & reprehensionis, quae appellantur ho-
 nestas, recta, officium, & contra, turpia, prava
 officij neglectio. Atque hic est cursus vitae huma-
 nae in terris. Omnis autem virtus in modo seu me-
 diocritate, & vitium in eo positum est, quod di-
 citur nimium & parum, quae sunt μέτρος &
 ὑπερβολή ac ἰσότης. Eximia tamen est virtus,
 id est, ἀρετή propter excellentiam & quia de-
 ficientia est expers. Et in hac est id quod deco-
 rum appellamus, cui neq; addi neq; detrahi sine
 depravatione quicquam potest. Hac dijudicantur
 quadam via & ratione cogitationum, id est, λο-
 γισμῶν & intelligentia ac mentis, qui est νόσος.

Vbi insunt deliberationes, consilia, iudicium, quibus propositum est ad inueniendum & comprehendendum verum. Atque hac nisi tanquam ager diligenti cura exerceantur, fructus proferri nequit, Ideoque ijs neglectis existunt errores & mendacia, & vita deprauatur & iudiciorum vanitas corruptionem morum producit. Est autem cultura duplex, doctrinae quae sunt μαθήματα, ac διωγία & πείρας, quae continent omnia, quae aetate atque tempore longo, & studio diuturno, quasi exempla quaedam praeceptionum, colliguntur, siue ea oculis percipiantur, seu audiendo legendoque cognoscantur. Quare κειρνεια hac vocarunt λόγον καὶ πείραν, de quibus alias copiosius disserere animus est. Neque satis est ad veritatem, versatum esse intelligendo & cogitando & perspicuendo, & disciplinis scientiae excultuisse ingenium, sed accedere oportet cum noticiam, tum usum rerum atque negotiorum: quae tamen ipsa destituta fundamento scientiae fluxa sunt & caduca, vt alterumutrum sine altero inscitiam imperitorum complectatur: rem vnam omnium nocentissimam, & malorum causam in terris, de qua Comicus: *Homine imperito nunquam quicquam iniustius, Qui nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.*

Hac sunt studia humanitatis: quibus quoniam ad spem virtutis ac laudis à primis statim annis pueros institui Graeci voluerunt, ideo παιδείαν & ὀρθῶς παιδείαν, & aliter educatos ἀπαιδευτους appella-

appellauerunt, id est, illiberales & indoctos. Qui est iam ortus, & peruersitatis animorum, & inanitatis iudiciorum, & cumulus errorum, vnde vitam hominum in terris tandem conturbari & societatem dirimi & quietem tolli, necesse est. Ita miseris & malis in audacia vel etiam furore hominum complentur vniuersa. Sed de his nunc differendum non putauimus. Redeo igitur ad dissensiones iudiciorum & controuersias doctrinae. Aberrantes enim animi hominum callidorum & versutorum à vero, ita quaerunt semitas quasdam ad similitudinem veri & in pertinacia defendendi, id quod arripuerunt assensione, pergunt turbare porro, vt ait seruulus in Comœdia, se facturum esse, cum semel turbellas dare incepisset. Disputatur enim tum non vt veritas exquiratur, sed vt id quod quisq; vult probetur, neque vt ratio, sed vt cuiusque oratio vincat. Hæ sunt *δέσσοι* illæ in philosophia explicationes, vt esse niuem nigram, quod posuit Anaxagoras, conuerti orbem terrarum, cælum stare, quod quidam Syracusius Niceta: Vinum frigorificum, Febrens quartanam laudabilem, Caluitium honestum esse. Huc pertinent Cynica impudentia, & Academica dubitationis & Stoica quasi *γυντείας* cuiusdam dogmata: vt enim prestigiatorum fallacia in celeritate non deprehenduntur à vulgo, ita rotunditas argumentationum, & contorta σοφίσματα facile constituunt illa admirabilia Stoicorum pla-

cita, De sapiente rege, diuite, & formoso, & similibus. Nam Cynica disciplina in fuga omnis pudoris & humanitatis & affectata feritate, confutat ipsa sese. Et Academica in professione inscitia, quid doceat, non habet. In vita autem similiter animus per errorem concipit turpitudinem ac dedecus, & voluntatem huc conuertit, & sua culpa, vel solertia rationis & acumine cogitationum, vel etiam audacia & pertinacia abutitur ad facinus malum perpetrandum, incitante & commouente pro cuiusque ingenio animum aliqua aut spe aut cupiditate, aut ira, aut indignatione, aut metu. Talia ipsa conscientia animi damnat, ac mala esse pronunciat, vt cum aliqui furantur, rapiunt, tumultuantur, peierant, venena & sicas expediunt, cum libidinibus vagis indulgent, potentiores etiam arma capiunt ac bella mouent, τὸ δὴν μεγίστων ἔσθ' ἔχθρ' ὑπερβυδία. Hec & huiusmodi tam scelera quam flagitia cum ipsa ratio reprehendit, & esse turpia ac mala ostendit, tum iudicium natura improbat, qua plerique in ciuitatibus legum quoque poenis coercentur. Quod sicubi leges cessant, aut potentia hos perumpit, conscientia ipsa presens sumit supplicium de fontibus. Vt de Oreste & Alcmaone fabulae perhibent. Sape etiam sera vindicta consequitur, vel genus ipsum extinguit. vt in oraculo dicitur periuros funditus deleri, vna cum genere & familia tota, que quidem Ho-

merica

merica est sententia, & Solonem eadem canentem audiuius. Magis autem in his declaratur id quod euenire solet & iuste fit, quam fati necessitas corripientis insontos, vt delicta maiorum immeriti luant minores, & aliquis negligat immeritis nocituram, post modo senatis fraudem committere, secundum Horatium, de quo tamen longa esset disputatio quam nunc seponemus. Interdum autem errat animus & impellitur in fraudem deceptus specie recti, cum pro vero arripit, id quod verum non est. In qua parte falluntur homines plurimum, aut opinione elati posse se perficere quod sperant, vt de Phaethonte & Icaro in fabulis est, aut secunda fortuna quasi vbrj exultantes, vt gloriosa Niobe & petulans Eurytion. Cum autem persuasum alicui fuit, debere fieri aliquid, & in hoc errat, vbi conatum euentus frustratur, aut infelicitas excipit, Tum misericordia prosequi illos casus solemus, & qui hoc non faciunt, ij duriores esse existimantur, praesertim in facto si officij ratio apparet, vt benignitatis in studio regis Phaeacum erga Vlysses, & fidelitatis, in cura Galanthis erga Alcumeenam. Sunt autem innumerabiles forma deceptorum, & vt quidam poeta dixit σοφισμάτων, quae sunt fallaces conclusiones, quibus in fraudem & erroris inducuntur homines. Propositum fuit Demostheni defendere libertatem patriae, & occurrere tyrannidi Philippi in tempore. Omnia

H

✦

dixit

dixit & fecit, quibus hoc perfici posse credebar. Sed id profecit, ut Philippus indies auctior viribus redderetur, & Gracia tandem in seruitutem redigeretur. Post praelium enim ad Charoneam, fracti animis omnes, non quid postea communiter ad se defendendum agerent, cogitare, sed diuisi, partim se Philippo dedere, partim assentando & obsequendo aucupari clementiam & fauorem illius, & studere benignitatem demereri. Quid Cicero? Nonne & ipse honestissimis & praclarissimis consilijs suis patriam, quam conseruare studebat grauius affluxit, & se perdidit? Multi alij ea moliti fuerunt, quae si potuissent perficere, magnam laudem & gloriam ingentem fuissent consecuti. In euentu autem contrario reprahenduntur, & imprudentes, temerarij, stulti perhibentur. σφαλοῖς γὰρ οὐδεὶς εἰ βεβουλεύσῃ δοκεῖ τὸν δ' εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζουσα, secundum Tragicum. Ponderantur enim plerunque consilia euentis, & ut ait Pseudolus plautinus, Bene vbi quod consilium discimus accidisse, hominem caecum, eum esse declaramus, stultum autem eum cui vertit male. Sed redeo ad fabulas, nam has sapientissimi homines poetae, ad haec ipsa quae isto modo fieri solerent, indicanda, consinxerunt. Fuit consilium Deianira ad reconciliandum sibi maritum, ut in muliere non nimis vituperandum: Sed quia minus circumspecte rem gessit credula & simplex foemina, quae miseria consecuta est? Huius generis

generis sunt ij, quos Graeci vocant φόνους ἀκούσι-
 οὺς qui perpetrantur minus cauta armorum tra-
 ctatione, aut alio quopiam infelicitatis casu. Quae
 est tanta miseria, vt fabula etiam deos & heroes
 suos hac non liberent. In quibus Hyacinthus ab
 Apolline disco emisso interficitur, & à Perseo
 Acrisius, & Procris, iacula temere coniecta à Ce-
 phalo, Non magnum est discrimen inter hac &
 ea, quae à τὸ πρῶτον commotione & perturbatio-
 ne animi vehementiore committuntur vt Hyppo-
 lyti execratio, quae comprobat sententiam Euripi-
 dis hanc:

Recte per iram nemo quicquam consulit,
 Multosq; mentis euertit saeva impetus,
 Incogitantiaq; mala ambo vtentibus.

Verum magis tamen hac in culpa esse viden-
 tur, quia sunt fontes horum, vitiosae affectiones
 animi, quas oportuerat coherceri. Itaq; non excu-
 sat facinus ira, non magis certe, quam libido aut
 metus, vel ebrietatis insania. Hoc loco mihi in-
 mentem venit Ouidiana sententia, quae poëta re-
 futans opinionem vulgi, imprecatur malum ei, qui
 ex euentu de factis iudicium faciendum esse existi-
 met, Sic enim apud Ouidium Phyllis:

Exitus acta probat. Careat successibus opto,
 Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Sic enim plerique facere consueuere, vt ante
 acta omnia de euentu aestiment. Nam de rebus &
 H S negocijs.

negocijs humanis, siue prospera hac fortuna adiuet, seu aduersa deprimat, non solet vulgo iudicium fieri secundum singulos conatus, aut ea quae diuersis temporibus recte perperamue facta sunt & commissa, sed finis tantummodo spectatur. Hic si forte is est, quem maxime volumus atque cupimus, omnia in copia felicitatis laudem approbationemq; inueniunt, quamuis quadam per se vituperabilia sint & mala. Sin aliqua finem sortita fuerint non bonum, vniuersa quae suscepta & gesta sunt, culpantur, tametsi iustam reprehensionem neutiquam mereantur, de qua & paulo ante nonnihil differuimus. In hac autem parte hoc considerandum est: Sape euentis causam indicari, vt lapsus ebriorum, aut infortunij libidinosorum. Sic enim negligentia, stulticia, imprudentia, audacia, euenta factum certe infamant. Quemadmodum autem opus ignominiam laudemue artificis conciliare dicitur, quia hoc elaborationis est argumentum, ita proprie quidem consilia actionesq; laudantur aut vituperantur, sed consentanea tamen etiam fortuna in vtramq; partem momenti habet plurimum.

Quapropter vt homines, cum bene maleue precari alijs volunt, optant vt virtute aut scelere illorum digna premia vtrisque persoluantur: Sic de his quae acciderunt facere solent iudicium, quid aliqui meruisse videantur, cum verisimile sit, secundum Euripidem, τὸν μὲν κακόν, κακόν τε πᾶσι

ἡ δὲ αἰτία, τὸν δὲ χρεῖσιν οὐτοχρεῖν. Verum quia tamē
 saepenumero non apparet causa infortunij &
 calamitatis, ut mox dicetur, ideo non debet im-
 probus & malus perhiberi vnusquisque, qui ad-
 uersis casibus exagitur, nisi culpa manifesta
 sit. Ita fit, ut sententia haec, Exitus acta probat,
 tanquam generalis, non recte vulgo vsurpetur:
 & nihilominus tamen saepenumero vero hoc dici
 reperitur. Sunt autem peccata quorundam
 ignorantis, quae cum eum qui ita delinquit mi-
 nime facinosum videri faciant, veniam talis
 & misericordiam inuenit, ut Oedipus tyrannus
 apud Sophoclem. Eodem pertinet Actaon, Dryo-
 pe, Hercules & Agaues furor: Quae etiam ani-
 mos audientium complent horrore quodam in
 consideratione tam calamitosa conditionis homi-
 num. Adijciantur his illi, quos pro sua quemq; na-
 tura, (nam natura ut ait Propertius sequitur se-
 mina quisq; suae) vis aliqua occulta, aut impellit
 ad scelus flagitiumq; aut adigit ad poenam. Ut illi
 vehementes amoris motus, qualis in Elissa à Ma-
 rone describitur, quorum autorem poeta faciunt
 Cupidinem, ut culpa mortales liberent. Sic Am-
 phinomum improbantem illum quidem procorum
 Penelopes petulantiam & iniurias, & cogitan-
 tem relinquere sodalitiū illud nihilominus im-
 pediuit vinculis quibusdam Minerua, ut ait Ho-
 merus, et hasta eū Telemachi obiecit. Haec iam sunt
 illa mirifica & ab omnibus deplorata ἀμπαξία

&

& tenebrae, vel etiam cacitas, qua fit ut saepe aliquis tendens ad bona, incidat in mala, secundum Theognidem. Haec sunt ἀμαρτήματα horrenda & necessarij in vita μυχθοι, & illa quae ubiq; de miseria generis humani leguntur. Hoc est Pindaricum λάθος ἀτέκμαστον νέφος, sub quo consilia & actiones à via recta aberrant. Socrates quidem, ut narrat Xenophon, dicere solebat cum Deus multarum praeclarissimarum rerum facultatem & usum hominibus concessisset, retinuisse sibi id quod esset precipuum & maximum, quodq; humanis rationibus comprahendi & explicari non posset. Itaq; cetera quidem humana intelligentia & studio venanda esse & percipi debere arbitrabatur: Euentum autem & fortunam ut cognosceremus, & illam incertorum ac dubiorum scientiam à Deo esse petendam. Significari enim & demonstrari haec illis, quibus Deus esset propitius. Ita ad vaticinationes & diuinationes ille remittebat homines, & ipse his religiose utebatur. Sed quid obsecro quam plurimis, non dico auspicia, exta, somnia, aruspices, sed illa augusta Apollinis oracula profuerunt? Hic quidem Pythius, apud Ennium, ut Cicero retulit, gloriatur, se esse eum vnde sibi populi & reges consilium expectant:

Suarum rerum incerti. Quos ego mea ope ex
 Incertis certos compotesq; consilij
 Pmitto ut ne res temere tractent turbidas.

Verum

Verum quid Cræsum perdidit, nisi fides superstitiosa quam habuit oraculis, Etsi Apollo ab illo accusatus, se accurate conatur defendere apud Herodotum. Semper hæc in aliquorum dicta incurrerunt, sed nobis de his nunc differere copiosius non est propositum. Hoc dico, non expedirem, ne si ille quidem Deus Socraticus consulatur, cum responso ipsius non minus perniciose fuisse multis reperiantur, quam conatus audacia. De his igitur hæctenus, addenda enim sunt, quæ secundum considerationem nostram restant. Iam igitur in multis, non modo voluntas peccandi nulla, sed ne peccatum quidem inuenitur, qui tamen aut in vita ærumnis maximis premuntur, aut mortem miserabilem appetunt. Contra, improbi, scelerati, violenti, & feliciter viuunt, & Sardanapali, vt Cicero ait, vice in lectulo suo sæpe moriuntur. Hæc Diogenes Cynicus, vt idem Cicero scripsit, dicere solebat, Contra deos testimonium dicere, Quod improborum prosperitas secundæq; res redarguerent vim omnem deorum ac potestatem, Sunt igitur improbi & mali ipsi quidem incolumes interdum atq; fortunati, alijs vero exitio. Ita enim Hesiodus:

Sæpe viri peccata luunt tota vnus vrbes.

Et Flaccus:

Sæpe Diespiter

Neglectus incesto addidit integrum.

Vnius itaq; interdum sommerita, vnum pluresue

resus corripunt atq; perdunt, non aliter quam
 ignis Tragicus in filia capite excitatus, senem pa-
 trem succurrere volentem, incredibili celeritate
 & ipsum inflammat ac interimit. Hæc iam sunt
 eiusmodi, ut nulla humana consideratione expli-
 cari possint, & harum rerum ratio hominum ra-
 tione non comprehenditur. Itaque aliqui elati
 animis tanquam Gigantes multiplicem vim inge-
 nij incitarunt aduersus diuinum numen & pro-
 uidentiam, atq; curam & respectum hominum
 illius sustulerunt. Ex hoc fonte manauit istud:

Ego Deum genus esse semper dixi & dicam
 cœlitum.

Sed eos non curare opinor, quid agat huma-
 num genus.

Alij nullum prorsus esse numen diuinum ausi
 fuerunt sentire, alij etiam plane eloqui. Vnde
 quanta licentia peccandi oritur, quis non vi-
 det? contra timidi & ingenio humili, ad super-
 stitiones in ea, quam Græci vocant *ἰσοδοξία*,
ἰσοδοξία, innumerabiles, & partim ridiculas, partim
 execrandas prolapsi fuerunt. Ex quo genere sunt
 Aegyptiaca ceremonia & mysteriorum initia:
 Item oraculorum, templorum, sacrificiorum, au-
 spiciorum cultus obseruatio, & magorum aris-
 torumq; vanitas. Et Pythagorica somnia, &
 Socratica religio, & omnes à Græcis dicta *ἰσοδοξία*,
ἰσοδοξία, deniq; cœlum, terra, mare repletum, non
 diuino numine, quo certe omnia plena sunt,
 sed

sed falsorum deorum commenticijs familijs ac
 gentibus, cum omnes colles, lucos, fontes, amnes
 stirpes etiam singulas, dijs quibusdam consecra-
 ret credula in formidine potentia diuina, & veri-
 tatis desertrix vita impietatis: Itaq; oppida fa-
 nis, delubris, statuis referta fuerunt. Quapropter
 homines sapientes offensi istis superstitionum de-
 liramentis, distinguere rem atq; diuidere ea qua
 de dijs dicerentur, conati fuerunt. Feceruntq;
 alios $\mu\theta\iota\kappa\omicron\upsilon\varsigma$ deos, hac iam erunt poëtica numina.
 Alios $\phi\upsilon\sigma\iota\kappa\omicron\upsilon\varsigma$, de quibus differerent Philosophi.
 Alios $\pi\omicron\lambda\iota\tau\iota\kappa\omicron\upsilon\varsigma$, consecratos in urbibus consensu
 ciuitatum & populorum. Cum autem omnia sa-
 pientia humana in quaestione de Deo, & in re-
 rum diuinarum consideratione desinat, atq; in
 his non aliter quam Astrologi stellas perhibent,
 insistas referaturq; eo vnde processerat, saepe eti-
 am allucinans & hac illac deerrans, tum incerta
 quid affirmet & neget, ad dubitationem Acade-
 micam deferatur, Non modo, vt in Physicis di-
 uersa arripiat dogmata, sed de moribus quoque,
 vt aliud de alia opinione pertexat: De Deo qui-
 dem & sentire & loqui religiose homines iube-
 antur, & hac pars adimatur cognitioni & sci-
 entia ipsorum, ne quis in illa architectari aliquid
 ingenij acrimonia ausit, cetera relinquuntur co-
 gitationi & menti, quibus vtraq; quasi alatur ac
 corroboretur. Est enim profecto supra & extra
 captum omnem intelligentia humana positum.

cum

cum definiri atq; comprehendere animo atq; ratione infinitam & eternam naturam, tum perspicere ac tenere voluntatem & sententiam Dei. Quicquid igitur cognosci atq; sciri de Deo potest, quod quidem certum sit ac verum, id ipso demonstrante & docente percipi necesse est, ut obscura & occulta, quasi velo detracto, appareant, & caligo mentis remoueatur, accensa veritatis & scientiæ cœlestis luce. Hæc est ipsius Dei vox & oratio, cuius interpretes fuerunt ij, quos istius doctrinæ ministros ipse Deus ab initio esse voluit: Cui filius Dei supremam manum imposuit, factus homo & versatus in terris. Quæ igitur diuina sunt, ea ex ipso Deo discantur. In cæteris potestas fiat menti, vt querat quasi nutrimentum præstantiæ suæ. Est enim quoddam animorum ingeniorumq; naturale, vt Cicero ait, quasi pabulum, consideratio inquam contemplatioq; non solum naturæ, sed communis etiam vitæ & negotiorum & societatis hominum. De quibus qui disertissime & aptissime verba fecerit, is tanquam in iudicio orator bonus vincat, & vt ille apud Homerum dari debent δῶο χρυσοῖο τάλαντα, ὅτι κὲ δίκῳ ἰθὺῦτάτα εἶπη. Sic doctrinæ famam & eruditorum assensionem auferat is, qui sagacissime & maxima cum solertia ac prudentia, perspicue, copiose, eleganter, hæc explicuerit. Iudicium autem non erit opinionis incertæ & animi vagi, καὶ δεῖο κακῆς ἀπλοῦτος in literis & ar-

& artibus bonis, quæ est philosophia, sed nitentis & fulci, tanquam ancora, evidentibus & veris causis in vnaquaq; consideratione. Quarum quidem fons est & origo, Geometria, Vnde omnis cognitionis humana veritas, & quicquid certam comprehensionem atq; intelligentiam habet, & ordine atq; via procedit, deducatur, & eodem reducat necesse est. De quo alias. Hac igitur relinquuntur studio & industria hominum, quæ aliquo modo intelligi & explicari prudentia & doctrina possunt. Sed quid obsecro consequitur de omni consideratione & copia sapientia, ijs quò animum suum scientia præclarissima compleuit, eorum quæ ab homine cognosci possunt? quam quietem reperit vsquam certam, aut quod præsidium inuenit contra impetus aduersorum? Dum in mari tranquillitas est, vel modica saltem commotio, gubernatoris ars valet plurimum. Vlysses ratem quoq; facile regit, dum serenum cælum est: Vbi vero inhorrescit mare, & tenebræ conduplicantur, noctisque & nimborum occecat nigror, quid iam potest efficere ars gubernandi, aut de illo ratis agitatore quid sit? Nonne & illa fracta & debilitata iacet, & hic impetu ac seuitis Neptuni vna cum rate euertitur? Sit in prosperis vel leuiter aduersis casibus præclara & magnifica vitæ ars philosophia & dux, virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quæ tranquillitatem largiatur, & terrorem mortis tollat, & cætera
 I facino-

facinora gloriosa faciat : in miseria & calamitate non nocere hanc satis fuerit , prodesse certe nequit. Tum enim illa prioribus contraria audiuntur : Nulla tantum virium habet aut prudentia aut doctrina , ut tantum dolorem possit sustinere. Et , plura scribere non possum , ita sum animo perculso & abiecto . Et , ego & saepius ad te & plura scriberem , nisi mihi dolor meus , tum omnes partes mentis , tum maxime huius generis facultatem ademisset. Et , cum me afflictum & confectum luctu audies , existimato me stulticia mea penam ferre grauius , quam euenti. Et , cum dolore conficior , tum etiam pudore. Et , ipse conficior venisse tempus , cum iam nec fortiter nec prudenter facere quicquam possim. Et , Tanto me dolore affecit , ut postea iacuerim. Erige te sapientissime Cicero. Trade te Philosophiae totum , ut te facere ais , Ad hanc confuge , ab hac opem pete. Sed quid ais ? O rem lugubrem : Itaque intercludor dolore. Et , Die natali meo , quo utinam susceptus non essem , aut ne quid ex eadem matre postea natum fuisset. Plura scribere metu prohibeor. Non potest neque sedare dolorem , neque compescere indignationem , neque quietem conciliare animo perturbato , sapientia & doctrina & multa litera , quas in caussa idem Cicero esse alicubi dicit , ut sit mollior . Ergo gubernandi ars nulla est , & Philosophia contemnenda ? Non hoc dico. Sed cum polliceatur aduersus omnes fortunæ
incur-

incurfiones illa auxilium, non poffe eam preftare, quod promittit, intelligi volo. Non ait hoc gubernator, fe, cum foluit, nauem in portum faluam deducturum effe. Si Philofophia hoc idem dicit, accidere tempus poffe, fe fe vt inftuctus, nihilominus obruatur fortuna fluctibus, non eft gloriofa huius oratio. Sed non dicit, ac alia potius magnifica & praclara de fua professione pradicat. Iam vt concedamus effe praefidij aliquid in Philofophia ad huius vitae cultum & in praefentia, quid magnopere proficitur, fi ifta ars & fcientia hominum cum bene cecidit, fortaffe ad mortem honeftam deducat & fpeciofe fepeliat, & perpetuis tenebris oppreffum relinquat in bufto. Nam de numerosa illa anima euolante ex mortali corpore, & immigrante alienum, & aliquando apud inferos verfante caua fub imagine formae, aliquando confidente fuper fidere quopiam, quae Pythagorici & Platonici fabulantur, bella quidem ea funt, fed neque fapientiae rationibus probantur, neque affenfionem intelligentiae communis inueniunt. In qua parte & Manichaei, & Cerdoniani, & Marcioniftae illuferunt veritati, introducetes μεταβάσεις animarum & μεταγχιμοὺς. Quae quidem ad hunc modum conficta, eruditiores ad morum & vitae, & in hac mutationis fignificationem affumferunt, vt effet hac ἀδυναμία, de ijs, quae inter homines acciderent

communiter, non quæ generationis fatali qua-
 dam lege fierent. Itaque Aristoteles facile totum
 illud commentum refutans, necesse est ait, ut cor-
 pus ad recipiendam animam preparatum sit.
 Quomodo autem obsecro preparatum erit muscæ
 corpus ad elephanti animam recipiendam? ut de
 musca, secundum prouerbum, elephanti creë-
 tur. Sed hæc quia sunt ridicula, derideamus licet.
 Alia omnem fere spem in posterum præcidunt,
 quæ vel de animæ cum corpore inseparabili con-
 nexione, & vitæ perenni motione ac fluxione,
 quæ est ἐνδέχεια, vel de dissipatione huius in au-
 ras, ut particula accepta ab æthere ad illum ex-
 pirando hinc reuertatur, sapientes homines &
 ingeniosi differuerunt. Socrates quidem, nescio
 utrum iocans in re capitali, ut multi alij ingenio
 præfracto atque duro, an vero quod ita existi-
 maret, de congressu apud inferos cum præclaris
 animis suo, antequam in custodiam traderetur,
 ubi & veneno extinctus fuit, declamitauerit.
 Sed totam certe rem illum & spem suam supra
 fabulas collocare quam leue sit, quis non videt?
 Quam multi mortem obierint fortiter & ani-
 mo infracto, licet de historijs cognoscamus, de
 quibus Ciceronis in Tusculana prima, nota est
 narratio. Hi tamen quid fecerunt aliud, quam
 quod de omni prosperitate & felicitate reliqua
 fortiter desperauerunt, siue ipsi ausi fuerunt mor-
 tem sibi consciscere, seu vim aliorum præsentis
 animo

animo sustinuerunt, neque eiulatu aut questu muliebri deformem reddiderunt exitum ex hac vita. Cum igitur, ut concludamus tandem disputationem nostram, neque in aduersis & huius vitæ ærumnis certa firmaq; sapientia humane consolatio sit, & si qua sit ea citra vltimum diem consistat, vel saltem in hoc insistet: Duo quæri possunt, vnum, operæ ne precium fieri existimandum sit, si studio sapientia aliquis sese dedat: Alterum quid ad explicandas difficultates, tam eas quas retulimus, quam harum similes alias, assumendum esse videatur, ut & in hac vita consistere, & certam spem alterius melioris retinere possimus. De quibus breuiter, quæ in mentem nobis venerint, exponemus. Diximus ante, optimum esse cuiq; naturæ id, quod ipsi est conuenientissimum, sicut deterrimum, quod maxime contrarium. Sed conuenientissima est animo humano consideratio veritatis, duplex illa quidem, vna prudentiæ, quæ actiones moderatur, altera sapientiæ, quæ cognitionem & scientiam complectitur, ita quidem, ut ab hac illa, quemadmodum ante ostendimus, dependeat.

Quapropter optimum est existimandum homini, præstantia eius naturæ, quam ille habet peculiarem, ea est mens, consilium, ratio. Sed neq; excoli, neq; instrui, neq; perfectionem & excellentiam hac adipisci potest, absq; doctrinæ eruditione: Sequitur ergo, ut doctrina, quod sapien-

via studium est, precipuum esse debeat in hac vi-
 ta & hominum communitate: & hæc si negligatur
 vel omittatur, non multum à bestijs condi-
 tionem humanam discrepaturam esse, quarum
 natura à consideratione & intelligentia ratione
 penitus remota est. Quare Aristoteles, breuiter
 ille quidem, sed luculente pronunciat, Vnicuique
 id esse optimum & iucundissimum, quod natu-
 ra ipsius maxime conueniat. Huiusmodi autem
 esse homini, intelligentia vitam, ab hac enim ho-
 minem potissimum effingi atque constitui. Ideoque
 illam vitam esse beatissimam. Verba sunt Aristo-
 telis hæc in ultimo Nicomachiorum libro. τὸ γὰρ
 οἰκείον ἐκάστῳ τῆ φύσει κρείττον καὶ ἡδιστόν ἐστὶ ἐκά-
 στῳ, καὶ τὸ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸ νοῦν βίος, εἴπερ μά-
 λιστα τοῦτῳ ἀνθρώπος, οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστα-
 τος. Sed nos hæc vltimum de vita beata paulu-
 lum seponamus, nam adhuc res hæret. Si autem
 intelligentia fons est & origo omnium, in quibus
 ordo & conuenientia, & pulcritudo & vtilitas
 inesse creditur, neque aliud in vita consideratur,
 quam quid deceat & quid expediat, addat si qui
 volet, & quod iucundum sit: Sequitur nimum,
 vt sapientia & doctrina in hac mortali vita &
 in terris, primas tenere, & ante omnia coli con-
 seruarique debeat, sine qua neque dignitatis & lau-
 dis fructus, neque commoditatum emolumenta,
 neque voluptatis vera suauitas percipi potest. Vo-
 let aliquis iam hæc prudentiam, id est, φρόνησιν

quedam & excellens hæc vel scientiæ vel artis perfectio. Et ita imponit quasi fastigium, eum, quem *νοῦν* appellat, Latini mentem nominarunt. Quo comprehendendi dicit omnium, de quib. veritas & rectum existat, causas & principia. Hæc igitur in Ethicis ab hoc philosopho ad hunc modum differuntur. Sed nos ad rem redeamus. Ac puto de ijs quæ dicta sunt, facile manifestam fieri posse, & quæ sit ingenij ac industriæ hominum quasi prouincia, neq; frustra studia doctrinæ coli, quibus artes scientiæq; omnes integra præstantur & cum inter præsentem coluntur ad communem vsum vitæ, tum traduntur etiam posteris, vt similiter illi bene ac liberaliter instituti, societatem coniunctionemq; generis sui tueantur, & honestatem vitæ augeant. Quæ qualiacunq; appareant, per se certe omnia pulcerrima sunt & maxima. Implicata autem in naturæ corruptæ deprauationem, cum debilitantur, tum etiam vitia contrahunt neq; id præstare & perficere valent, quod pollicentur, neque eam speciem ac pulcritudinem retinent, quam cogitatio sapientiæ concipit atq; informat. Hanc causam corruptæ & vitiatæ naturæ, humani ingenij sagacitas non videt. Itaq; in tota disputatione de excellentia hominis errat ac fallitur: Cum integram atq; sinceram naturam illis proponat, quæ vitiosa est & impura. Itaq; à Philosophia veritas petenda non est, quæ ignorat penitus id ipsum, quod gloriose prædicat sese explicaturam esse:

esse:

esse: Caussarum inquam cognitionem, & demonstrationem bonorum atq; malorum. Ceca enim est illa hac in parte, neq; animaduertit deprauatam & labefactatam, esse eam naturam, de qua tanquam integra & incontaminata concionatur, tantum abest vt corruptela caussam intelligat: quapropter eam allucinari quoque oportet in iudicio de bonis & malis. Quin etiam maxima & summa ingenij humani sapientia, hac ipsa quibus solis veritas cognoscitur, refutat & abiicit, & eam doctrinam ingentium arumnarum caussam esse prohibet, confundentem iudicia & sententias hominum, & inserentem animis opiniones mirabiles, & abhorrentes ab intelligentia & noticia communi. Si igitur ad spem felicitatis contenditur, si beata queritur vita, si fugiuntur mala & expetuntur bona: ingredienda alia via est, & verus cursus tenendus. quo in portum quietis & tranquillitatis deferamur sempiterna. Hac est vnica religionis sanctae, constituta verbo Dei aeterni via, qui est Christus Iesus filius Dei, idem veritas & vita. In hac iam & perpetua atq; immutabilis veritatis scientia, & ea prudentia, qua consilijs certis firmisq; & rectis instructa est, & ea actiones, quae iusticiae & virtutis immortale decus & laudem conciliant, quarendae sunt, et reperiri possunt. Qua scientia & cognitione qui destituitur, quantumuis sapiens sit, stultissimus est. Iudicium autem illud, si absit, neq; consilia neq;

I S actiones.

actiones quæ culpa careant, vspiam possunt existere. Hæc est pietas & religio Christiana, quæ non modo huius vitæ cursum dirigit ad felicitatem, sed post hanc etiam ostendit portum beatæ vitæ, & immortalis ævi stationem sempiternam. De qua verba facere & disputare neq; propositi, neque virium mearum est, remittoq; cum me ipsum tam alios, ad studium & lectionem sacrorum librorum, & piam ac religiosam considerationem eorum quæ illis prodita sunt, ad quam plurimum momenti affert erudita & diligens interpretatio & commentatio sanctorum veterum, qui Christi religionem propagare studuerunt, & opera ac assiduitas eorum, qui his quoq; temporibus doctrinæ Ecclesiasticæ munere funguntur. Cum enim sint in religiosa assensione & sanctitate fidei omnia, audiri scilicet & cognosci oportet ea, quibus assensio, & fides illa debetur. Sed non reijcit religionis sanctitas, quasi profanum studium philosophiæ, quemadmodum illa neq; vitam communem dissipat, neq; officiorum rationes conturbat, neq; virtutis laudem diminuit. Magnopere ostentaverunt Græci veteres iusticiam, verbi causa, Aristidis, & continentiam ac probitatem Socratis, sed hæc & alia innumerabiles virtutes, in sancto Paulo multo & maiores & pulciores eluxerunt, vt in hoc veræ virtutes, in illis vmbra virtutum essent. Non enim certe Christianismus officium negligit, aut non colit virtutem, aut Cyclo-

pica

picā quadam est secessio: Sed & sanctissime præstat officium, & virtutis est studiosissimus, & vitæ societatem nulla in parte violat. Assumit igitur etiam, vt necessaria ad vitam in terris bene laudabiliterq; agendam, studia literarum & artium ac disciplinarum bonarum, id est, philosophia: Non illa inuoluens in suam & propriam doctrinam, sed quo in genere ac loco sunt, in eo hac relinquens, & conueniente modo vsurpans.

Nam commistione vel etiam confusione veritatis cœlestis & diuinæ, cum mortali & terrena sapientia, neq; per se deterius, neque magis contrarium Religionis sanctitati, neque Deo magis inuisum, neq; perniciosius hominib. fieri quicquam potest. Itaq; ab hac arcana & ignota rationi & iudicio hominum scientia, longissimo separanda interuallo est, sagacitatis & perspicacie humane intelligentia, & ingenij vis & studij industriaq; effectio, quæ omnia seruire & famulari debent tractationi & explicationi doctrinæ cœlestis, & ad illius quasi iussa omni tempore ac loco præsto esse: Ipsa in hac parte iuris autoritatisq; aliquid sumere & vsurpare nullo pacto debent. Itaq; insanijse eos putabimus, qui vel Platoniam vel Aristotelicam philosophiam cum Christiana religione coniungere, vel in hanc potius implicare nõ dubitauerunt, ex quib. aliqui etiam ausi fuerunt de Platonis allegorijs leuissimis, illas grauis. sententias de Deo notas soli religioni Christianæ constituere.

Et colligunt hi argumenta quibus probari volunt, haec in Aegypto Platonem cognouisse, quod & futile est & ridiculum. Quando enim Aegyptijs Iudaorum religio cordi vel non edio potius fuit? Aut illi Mosis scripta magni facerent, quem pro fugitivo & seditioso haberent? Aut potuit Plato legere Hebraicos libros Mosis?

Sed ut verisimiliter hoc diceretur, nos tamen nefas duceremus, cum vlla doctrina aut sapientia humana calliditate, communicare laudem simplicis veritatis celestis. Nam de Aristotelicis commentationibus quae sunt ingenij magni & acris & sublimis commenta, id est ἐρροῦματα, quid nugarum & ineptiarum in religionem cum ingente labe illius, inuectum sit, iam & euidentis est, & execrabile pijs ac bonis videtur omnibus, praesertim cum de his barbaries illa monstra peperevit, quae iam circumstare, & premere Ecclesiam sanctam cernere est. De oraculis & Sibyllinis versibus, quorum aliqui testimonia magnifecerunt, & sola posse refutare Idololatricos errores credidere, longa esset disputatio, quam veluti scholam peculiarem alibi, si tempus & ocius suppediarit, explicaturi sumus. Nunc hoc teneamus, nihil omnino posse tranquillitatem & pacem & veram leticiam in optima spe non modo praesentis sed futurae etiam felicitatis, conciliare hominibus praeter vnam illam celestem veritatis doctrinam, cuius doctor & magister ac interpretes ab initio fuit

fuit, & est, vnicus filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, quem solum audient ij, quibus & erga Deum pietas cordi, & sua salus cura est. Loquitur autem ea quae de sancti spiritus instinctu exposuerunt, & literis mandarunt Prophetae & Apostoli. Quorum scripta Sacrae literae nominantur. De quo indicatum satis est, dici pro dignitate neq; a nobis, neq; breuiter omnino potest. Et perpetuum hoc studium esse debet Christianorum. De his igitur haecenus. Cetera Religionis ardori atq; cupiditati committenda & relinquenda sunt. Quae hac vnione comperto nihil non impendendum, nullum laborem non suscipiendum, nullum non adeundum esse periculum censeret, vt illo potiatur. Quem benigne nobis contingere & proprium esse velit filius Dei Dominus vnicus noster Iesus Christus, cuius est cum aeterno patre & spiritu sancto, regnum, gloria, virtus, victoria, sine fine.

SOLO-

SOLONIS ELEGIA,
CITATA A DEMOSTHENE,
de causis, quæ afferunt exitium Re-
gnis, & magnis ciuitati-
bus, conuersa à Philip-
po Melanch.

Non urbem superi cupiunt euertere nostram,
Et nobis, nisi sint numina læsa, fauent.
Ac nostra custos arcis Tritonia Pallas,
Perpetua cura moenia nostra tegit.
Ipsi sed patriam sceleratis mentibus ultro
Conantur ciues dilacerare suam.
Nam precio quidam vendunt, legesq; fidemq;
Aurum qui nullo iure modoq; petunt.
Sauitiam exercent, rapiuntq; tyrannida quidam,
Induat ut iustus ciuibus arma dolor.
Pars studet & sarcire domestica damna rapinis,
Exhausit patrias cum male luxus opes.
Diripiuntq; vrbis patrimonia publica nostra,
Et sibi diuitias viq; doloq; parant,
Et non iusticiae formidant numen & iram,
Consilijs superum qua dea semper adest.
Hæc oculis cernit vigilantibus omnia facta,
Nemo putet falli numina posse Deum.
Et quamuis pœnas differt aliquando tacetq;
Mente tamen memori facta nefanda notat.
Exigit & tandem pœnas, non regna nec vrbes
Effugiunt clades, quas meruere graues.

Hinc

Hinc vrbs diuitijs quondam, imperioq; superba
Seruitij patitur tristia iura modo.

Aut rabidi ciues in mutua vulnera stringunt
Exorta gladios seditione suos.

Aut validos hostes sine causa forte laceffunt;
Sopitumq; mouent, quod fuit ante malum.

Nanq; vrbs, quæ socios iniustis prouocat armis,
Mox ruet, & subitis est peritura modis.

Casibus his valida gentes delentur & vrbes,
Pro spreta poenas quæ pietate luunt.

Et si qui excidio patriæ fortasse supersunt;
Posthac fata illos non leuiora manent:

Extorres, sine spe, sine sede, inopesq; vagantur;
Aut emi precio vincula dura gerunt.

Sic partem fert, quisq; suam, cum publica clades
Incidit & prohibet ianua nulla malum.

Non latebra quenquam fugientem absconderè
possunt.

In thalamos penetrant publica damna tuos

Hac moneo ciues, nec fabula ficta putanda est;

Leges atq; Deum spernere, crede nocet.

Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris

Peccanti, quæ non parcere lenta solet.

Hac prohibet turpem luxum, frenatq; rebelles;

Crescere nec patitur semina sparsa mali,

Iudicis emendat fraudes, violentaq; facta

Nasci inter ciues, dissidiumq; vetat.

Deniq; vita hominum tranquilla, & honesta mæ

Seruandi leges dum pia cura manet. (nebit.

C A R

CARMINA TYRTAEI ORIGINE ATHENIENSIS RECEPTIONE Spartani, de libris illius, quib. ad fortitudinem & patriae defensionem, & contemnendam mortem, Lacedaemonios exhortatus fuit excerpta & conseruata studio veterum, ac nuper in Latinos versus translata à Ioachimo Camerario.

AT vos inuictum genus Herculis este virili
 Pectore, nam vobis mens Iouis aequa manet.
 Ne timidis sint terrori tanta agmina, sed vir
 Quisq. sua in primos dirigat arma viros:
 Neue aliquis dubitet sub clari lumina solis,
 Vitam efflare magis quam retinere suam.
 Quam sit enim incertum nostis lacrimabile bellū,
 Martius & tetigit pectora vestra furor.
 Inq. fuga versati & cum victoribus estis,
 Estq. animus, iuuenes, vester utroq. satur.
 Ergo qui densant aciem & stant ordine iuncti,
 Primaq. in aduersi cominus arma ruunt,
 Vitam ex his plures seruant socijsq. sibiq.,
 At virtus turpi pulsa timore fugit.
 Quis vero illa queat cuncta enumerando referre,
 Quae cum deformi sint mala iuncta metu?
 Nanq. hostis miserū est telis dare terga sequentis,
 Impune in trepida percutienda fuga.

Quam

Quàm fœdum ad visum est stratum super ora ca-
Auerſo cuius vulnere dorſa patent? (dauer

Nam cecidiſſe in principibus pulcerrima res eſt,
Virtutem & patriæ perſoluiſſe ſua.

Sed patria, & patriæ deſertis pinguibus aruis,
Mendicare foris quã graue atroxq; malũ eſt?

Dum matremq; trahas tecũ, effætumq; parentẽ,
Vxoremq; ſimul, progeniemq; ſimul.

Vt ſis ad quos peruenias, grauis, indigus, exul,
Et ſit egeſtatis vox odioſa tua.

Dedecus hæc ſequitur generis facieſq; pudenda,
Cuncta ſequuntur item triſtia, nullus honor.

Quippe vagos curat nemo iſtos, nemo veretur:
Contemtum patriæ nam fuga ſemper habet.

Proinde animis terram tueamur forſibus iſtam,
Armaq; pro ſobole ſumito quiſq; ſua.

O iuuenes nec triſte mori nimis eſſe putemus,
Iamq; ſuæ vitæ parcere nemo velit.

Corporibus pugnam iunctuq; capeſſite, Neu quis
Autor probroſe ſit metuendo fuga.

Atq; ira complete grauiſidentia corda:
Néue animæ quiſquam pugnet amore minas.

Neu plenos ætate viros tardosq; ſeneſta
Prodite inhumana deſtituendo fuga.

Nã fœdum aſpectu eſt corpus primam ante ſenile
Fuſum aciem, iuuenum retro abeunte manu,

Quod mentum & niueum caput albo crine reni-
Fortia poſt medio puluere facta iacet, (dens

K

Sangui-

Sanguinolenta prement condente virilia dextra
 Execrabilius quo nihil esse queat.

Omnia sed florente decent etate iuventam,
 Aspiciant oculis vir mulierue suis,

Donec vita manet. Sed & inter in agmine pri-
 Qui cadit, egregia laude potitus obit. (mos

Proinde agite & pedibus firmi consistite vtrisque,
 Inque genas presso figite dente genas.

Quisque femurque ac crura tegat, pectusque hume-
 rosque

Obijciens clipei tegmina firma caui.

Vulnifera elatum sed vibret dextera telum,
 Fluctuet horrificis vertice crista minis.

Fortiaque haud refugo designantes pede facta,
 Luctifici varium discite Martis opus.

Ergo prepe aggressi consistite cominus hostes,
 Virque hasta sternat vel magis ense virum.

Ac pedibus conferte pedes, scutisque premantur
 Scuta, iubaque iubis & galea galeis.

Pectus & hostili pugna se cade cruentet,
 Seu gladius captus siue sit hasta manu.

At vos cum leuibus circum agmina qui datis ar-
 mis,

Grandia in hostiles mittite saxa globos.

Et iaculis densas longis turbate Phalanges,
 Nec legio vestra destituatur ope.

ALIA

ALIA EIVSDEM TYRTAEI

DE QVIBVS ET PLATO IN

libris legum aliquoties

meminit.

NON nego vel lueta clarum pedibusue volucrum,

In minima digner ponere laude virum.

Non si mole sua & Cyclopas viribus aequet,

Et superet cursu Threicium Boream.

Seu sit qua veterem Tithonam gratia forma,

Quaeq; Mida & Cinyra copia vincat opes.

Maestate & Tantalida Pelopi ante ferendus:

Adrasto suavi sit prior eloquio.

Deniq; cuiusuis celebris si nomine laudis,

Illustri audacis Martis honore vacet:

Talis nec sumtis in bello est inclitus armis,

Nec dextra pugnas edit inerte bonas.

Qui neq; sustineat cadem aspexisse cruentam,

Nec conserta ferox hostis in arma ruat.

Hac virtus, huius sunt maxima praemia, nec res

Esse iuventuti pulcrior vlla potest.

Quin etiam est commune bonum, cum civibus urbis,

Progressum, in primis occubuisse locis.

Intrepide, expertem turpis formidinis, ut sit

Vitae etiam atq; animae prodigus ipse suae.

Hic prope confirmat stantem, ut cadere ausit &

Hic vir hic ad pugnas utilis esse solet. (ipse,

Qui facile hostiles profligat in agmine turmas,

Et belli nunquam fluctibus obruitur:

Sed magis in primis vitam pugnando relinquit,
 Parta vrbi & populo, laude, patriq³ suo,
 Aduersum crebro confossus vulnere pectus,
 Per thoraca simul, per clipeumq³ simul,
 Hunc omnes flent amissum, iuuenesq³ senesq³,
 Propter & hunc tota est luctus in vrbe grauis:
 Huius & insigne est bustum, sobolesq³ celebris,
 Totaq³ posteritas & genus omne viri.
 Nec bona fama perit, nec gloria nominis vnquam,
 Cuius pro patriæ vita salute data est.
 Quin etiam hic tectus terra immortalis habetur,
 Hostiles ausus sustinuisse minas.
 Qui natosq³ agrosq³ suos dum protegit armis,
 Letiferi Martis præda cruenta fuit.
 Quod si fata nigrae vitauerit aspera mortis,
 Et fuerit victrix hasta relata domum, (quot
 Quantus honor manet hunc, cunctis de ætatib. &
 Post vitæ ad Stygias commoda transit aquas?
 Huius honorati cani sunt ciuibus, huius
 Ius semper liquidum est & referenda fides.
 Huic iuuenes, huic æquales, huic grandior ætas
 Cedit præsentis sede locoq³ suo.
 Tante igitur quisquam fastigia scandere laudis
 Nolet, & hoc poterit deseruisse decus?
 At vos duri animam in discrimine ponite Martis,
 Et belli infracto pectore ferte moram.

C A R M I N A

C A L L I N O I.

QV O tamen vsq₃ iacent animi? quo tempore tan
 O iuuenes, hominũ fortia corda pudor? (get,
 Qui vicina tenent loca, dum, quasi pace fruamur,
 Si belli in medio turbine nemo mouet.

Nunc igitur tandem arma aliquis valida inferat
 Vltima & emittat tela labante manu. (hosti,
 Quanta etenim laus est, quã splēdida gloria pugnae
 Pro patria & natis coniugioq₃ suo?

Mors tamē adueniet cum Pacca è stamine ducēt,
 Nunc stabilem obiecta cuspide ferte gradum.

Forteq₃ in vmbonem clipei contrudite pectus,
 Incipient cum iam conseruisse manus.

Fatum nemo quippe potest euadere mortis,
 Non si diuino semine sit genitus.

Ac telorum aliquis strepitum belliq₃ tumultum
 Iam fugiens rapitur morte repente domi:

Sed non par populi desiderium ac amor istum
 Excipit, ignauo qui iacet interitu.

At magni ac parui lugent communiter illum,
 Pro patria fuso sanguine qui cecidit.

Fortianam ciues meminerunt facta libenter,
 Et cupido semper pectore fixa tenent.

Heroumq₃ Deum sobolis venerantur honore,
 Virtute eximium bellipotentem virum.

Quē ceu turrim oculos altã positã ante tuentur,
 Multorum quoniam solus hic edit opus.

COHORTATIO AD PV-
gnam Hectoris.

λ. 6.

At vos inter dura capeſſite praelia naues,
Ac ſi forte alicui eſt mors hic, aut eminus ic̄to
Cominus aut confoſſo obeunda, haud ille recuſet
Pro patria in pugna vitam impendiſſe ſalute.
Salua erit interea coniunx & paruula proles,
Incolumisq; domus, reſq; integra cuiq; relicta,
Si ratibus Danaï patrias reuehantur ad oras.

COMMENTATIUNCULA

Altera de alteris iam expoſi-
tis verſibus.

VISVM fuit & hos verſus adijcere prius
expoſitis: Quorum Soloneos ante multos annos
latine interpretatus fuit V. Cl. Philippus Me-
lanchthon, magis ſententiam exprimere ſtudens
quam verborum inharens contextui: Recitari
autem curauit hos olim Demosthenes, cum acer-
rimam accusationem falſe legationis contra
Aeſchinem inſtituiſſet. Alios ante annos
VII. adiunximus orationi noſtræ de bello ſuſ-
cipiendo & gerendo contra Turcas. Cum enim
multos hoc argumento aliquid literis mandauif-
ſe cerneremus, hac etiam in parte putauimus
eſſe declarandam ſolicitudinem quandam de
Repub.

Repub. nostram. Quam tamen operam magis studiosis utriusque lingua & volumus & sensimus nauari, quam quod excitari verbis ad respectum patriæ eos posse speraremus, ad quos huius defensionis maxime vel solos potius pertinet. De qua re fatalium calamitatum dolore, quæ, ut vereor, nostra ætati impendent, plura scribere prohibeor, Redeo igitur ad expositos versus. Ac Solonis quidem versus de illa recitatione conseruatis orationibus. Demosthenis ad nos peruenerunt, quamuis mutili & mendosi: Quos suspicor tum esse ab illo compositos, cum monendo, hortando, increpando, obiurgando ciues suos studuit retinere in cura & custodia libertatis, insidiante huic Pisistrato. Non solum enim tum dixit atque scripsit omnia quibus abducere posset animos ciuium suorum à nocente & pernicioso errore, qui semper perdidit & posthac perdet liberas ciuitates, sed armis etiam extrema senectâ sumtis, ad consilium prodijt, & præconium fieri iussit, ut qui Rempub. saluam esse uellent, idem facerent, & quid Pisistratus moliretur indicauit, quamuis ut quidam scripsere, esset hic cognatus Solonis. Sed patriam ille prætulit caritati suorum. Verum tum derisus à consilio fuit, cum quidem dixisset, se alijs prudentiorem alijs fortiorem esse. Prudentiorem quidem ijs qui nondum intelligerent quid moueretur, fortiorem uero silentibus & quiescentibus vel metu periculi vel spe commoditatis. Ac tum quidem factio

K

4

Pisistra-

Pisistrati furere eum vociferata fuit, cum fecisse
hos versus perhibetur :

Ciuiibus ostendet breue, nostra amentia, tempus
Quæ sit, quod verum proferet in medium.

Sed & versibus plane vaticinans prædixisse ea
traditur de Pisistrati tyrannide quæ postea eue-
nerunt : ex quibus hi à Laërtio referuntur :

Nix de nube cadit violenta, & grandinis imber,
Claraq; terribili fulgura luce tonant,
A magnisq; viris Respublica vertitur, excors
Vnius vt vulgus seruiat imperio.

Cumq; plus valuisset simulatio & fraus Pisi-
stratidarum, quàm sapientia & virtus Solonis, et
iam oppressa Atheniensium ciuitas tyrannide do-
leret atq; indignaretur, quamuis molesta ea res
etiam Soloni esset, & propriam illam esse miseri-
am iudicaret, tamen cum animaduerneret quanta
esset peruersitas plerorumq; non tam insultans et
seruitutem exprobrans ciuibus suis, quàm tunc
etiam castigans illos & utiliter eis precipiens, ver-
sus fecit, quorum reliquæ apud Laërtium extant
hæ, vt nos conuertimus :

Quod peperit vobis mala tanta ignauia vestra
Ne vos insontes insimulate deos.

Ipsi etenim istos præsidij auxistis, & hæc est
Fax prima indigni causaq; seruitij.

Quin vulpino etiam nunc gressu inceditis omnes,
Et leuitas cunctis maxima mentis inest.

Nam

Nam linguae & verbis inhiant fallacibus aures,
Sed nemo aspiciens improba facta notat.

Ille vero error exitiosus ciuitatibus quisnam est? Is profecto, quo occaecati animi sperant suas domos, agros, praediola, piscinas, & si quid est, quo beata in terris vita instrui vulgo putatur, id saluum esse posse, si Respub. amissa sit, priuatarum inquam rerum studium, publicam rem euertit atque perdit. Tum etiam maxime illa proditur, cum cura & fides ei subducitur. Statim enim sequitur, vt cum non magis dignitas & honores & opes à Republica sperantur, aliunde iam haec omnia quarantur. Quae est desertio Reipub. & eam mox etiam oppugnatio sequitur. Sic Pausanias olim & Themistocles liberatores patriae, mox proditionis huius infamiam sibi inusserunt sempiternam. Sic Marius & Sylla, & paulò post Pompeius & Caesar, cum salua & stante Reipub. cupiditates immensas suas non posse expleri considerent, ad opprimendam illam consilium inierunt. In quibus felicior fuit Caesar, qui anteuertendo Pompeium, & hunc profligauit, & summam rerum postea facile solus occupauit. A Pausania & Themistocle id quod moliri ceperant, incoatum ita remansit, & ipsi inter conatus occubuerunt. Romani illi patriae labefactatores magis fuere scilicet fortunati, habuerunt enim plures adiutores consiliorum & facinorum malorum; Quibus destitui haud fere quamuis aliqui

improbi sint & audaces ac callidi, instituta absoluerent solent. Hoc igitur Solon queritur, hoc accusat: Negligi Kemp. violari leges, distorqueri iura, & ali paucorum potentiam insidiatricem libertatis: Valereq; apud plerosque plus largitiones & gratiam, quam respectum incolumitatis & salutis communis. Docet autem fontem esse mali istius, & pestem qua Resp. corrupta celeriter intereant, hinc oriri & concipi: Si disciplina soluta, cupiditatibus pravis indulgeatur: Quarum est acerrima pecunia & opum. Videtur enim omnes à pecuniosis & opulentis omnia comparari facile posse, postquam mores, ut ait Plautus, perduxerunt leges in potestatem suam, ut hæc illis seruiant. Qui autem sunt mores cum leges oppressæ & victæ iacent? ij nimirum qui ibidem enumerantur:

Qui nihil faciunt quod licet, nisi quod lubet.

Ambitio tum more sancta est, libera est à legib.

Scuta iacere, fugereq; hostes, more habet licentiam.

Petere honorem pro flagitio, more fit nequam scilicet & malo. Et mox:

Strenuos præterire more fit. Et paulo post, leges mori seruiunt,

Mores autem rapere properant, qua sacrum qua publicum.

Ac tum fere tamen plurimum ubiq; legum promulgatur ac fertur, sed inutiliter. Quid enim leges

leges sine moribus vane proficiunt? ut ait Horatius, probis nimirum & bonis. In talia inquit Solon tempora, auaricia, cupiditatumq; malarum & petulantia & nequitia incidunt ciuitatum ouersiones, depopulationesq; quorum autores sint, siue externi hostes, seu ipsi in se grassantes ciues intestinis odijs ac dissidijs, quae tandem in ciuilia bella erumpunt. Et his plerunq; via sternitur externo hosti, ad occupandum iam debilitata & fracta suis viribus, & impulsam conuellendum ac deiciendum. Est enim haec diuina, inquit, poena, quae corripit tandem improbitatem & scelera & furores hominum, quam nemo effugere se posse speret, quamuis in cauernis terra aut latebris domesticis occultetur. Atq; haec sunt praemia secundum Solonem, improbitatis & iniusticiae ac violentiae, quam vocat δουρομία. Cum qua praclare ait Hesiodus, familiariter degere τὴν ἀτρυ. Sed iusticiam & pudorem & moderationem, quam εὐνομίαν nomine indicat, pulcerrimis & verissimis laudibus idem Solon ornat: Hanc esse ordinis & decoris parentem. Hac vim & iniuriam quasi compedibus quibusdam vinculam coherceri. Aspera hanc lenire, & satietatem ac fastidium, huiusque sobolem petulantiam sedare atque delere. Neque pati ut semina erumnarum publicarum inter ciuium iurgia & similtates exoriantur & confirmantur. Eandem intorta & deprauata corrigere & explicare. Eandem
super-

*superbiam & insolentiam compescere, denique hanc odia contentionesq; & certamina reprimere, & persicere, vt omnia inter homines gerantur vera & certa ratione cum elegantia & pulcritudine. De versuum igitur horum Solonis sententia haecenu. Tyrtaum Atheniensem fuisse accepimus, hominem conditionis humilis etiam corpore vitiatum, quod loripes esset, & literas doceret, quod genus necessarium ad cultum virtutis tamen contemnitur ac despicitur. Accidit idem in alijs quoque rebus bonis & necessarijs, si paruae esse videantur, vt harum professio non magni fiat, sed in doctrina literarum atq; artium imprimis. Quod sane, quia mutare non possumus, ita fieri patiamur. Sed de Tyrtao vt cepimus dicere, pergamus. Hic, quemadmodum dixi, conditionis humilis fuit, quod ludimagister esset, Confertur in tempus Olympiados XXII I. à Pausania, qui huius opera & studio perfectum fuisse tradit, vt Lacedaemonij neque deponerent bellum aduersus Messenios susceptum, & tandem saepe grauib; vulneribus acceptis, victores euaderent. Confirmant autem his versus animos, vel etiam hos iacentes suscitant & erigunt, conuercentes ad conspectum pulcritudinis, quae de virtute relucet. Nulla autem pars honesti pluris sit opinione hominum, quam ea, in qua est animi magnitudo & praestantia, maxime si declaretur facinoribus memorabilibus & magnis in bello, quod
 ipsum*

ipsum cum ita geritur, non modo ut iustum, sed etiam ut necessarium sit, quale est, quo patria defenditur aduersus vim hostilem, tum illa fortia facta multo redduntur magis laudabilia. & speciosa. Hanc partem Graeci nominant ἀνδρείαν, Latini fortitudinem, & quemadmodum Graecis ἀγέρην hanc excellentiam saepe indicat, & ἀνὴρ ἀγαθός, vir fortis est, ita virtus fortitudinis quoque notionem complectitur, placetque quibusdam a Vi- ro hoc nomen deduci, ut sit propria in Latina lingua virtus, quae est in Graeca ἀνδρεία.

Querit Aristoteles, cur virtus haec tanti fiat & esse praeclarissima videatur, cum sint aliae meliores atque laude digniores, ut iusticia, sine qua nihil existimationem honestatis retinere potest:

Vsq; adeo ut inter praedones quoque huius speciem quandam versare necesse sit, si ipsorum coetus non dissolui debeant, ut verbi causa, non ledere socios, non agere praedas in agro pacato, parcere deditis. Et qui fraudulentissimi sunt hoc studiosissime agunt, ut iusti esse videantur, & ea ars est, quam didicere & tenent ij, qui strenue esse iniusti sciunt. Hoc enim maxime ad hominum fauorem & studia prodesse non fugit calliditatem, esse in opinione iusticiae. Itaque haec est secundum Platonem, ἐξάτη ἀδικία, δοκῆν δίκαιον εἶναι μὴ ὄντα. Docet enim tanquam in gubernatore perfecto, artis esse perfectionem quandam oportere, in eo, qui iniusticia prestare velit. In qua est precipuum vi-

um videre & intelligere, qui quasi ventus ad-
 uersetur instituto cursui. Nihil autem magis no-
 cet iniustis, quam si manifestum fiat, quod sint in-
 iusti. Itaq; hanc opinionem vel vi vel largitionib.
 student auertere, vt quam diutissime exercere in-
 iusticiam possint. Sed ars ista quoniam tota si-
 mulatione & versutia dolosa comprehenditur,
 sepe numero destituit & relinquit opus inabsolu-
 tum, & fallit artificem, de quo nunc plura non
 dicemus. Cum autem constet hanc virtutem
 qua max. celebratur versibus istis, non esse reuera
 maximam & precipuam, cur inquit, vt iam re-
 tulimus, Aristoteles, hac vbiq; sit plurimi: Putat
 idem autor hanc esse causam, quod omnes existi-
 ment in ea certissimum esse presidium contra vim
 externam, qua corpori & facultatibus afferri so-
 let ab hostibus. Et quoniam amissio fortunarum,
 afflictio corporis, seruitus, caedes tristissima atq;
 deterrima esse iudicantur. ideo ea virtus qua pro
 his propugnat prima ducitur, quasi simpliciter
 praestantissima sit qua aliquibus utilitatem con-
 ciliet. Addatur & hoc si placet, Quod vulgus
 intuens in speciem illustrem, qua conspiciuntur
 fortes & bellatores, hac capitur & admiratur
 ac suscipit consilia & actiones quibus illa consti-
 tuitur. Hic est splendor opum & potentia qua
 nihil hominibus videtur melius neq; magis expe-
 tendum. Et oratio quoq; gloriosa commouet ani-
 mos audientium:

In Asiam hinc abij atq; ibi
 Simul rem & gloriam armis belli repperi.

Et, Quem in adolescentia
 Memorat apud reges armis, arte duellica
 Diuitias magnas sibi adeptum.

Hæc igitur & similia erigunt animos hominum, paucorum quidem vt eadem commoda sequi & sperare ausint, vulgi autem, vt, qui illa adepti sunt, eos veneretur ac obseruet, & eis se submittat & cedat loco honoribusq; & omnibus ijs quæ magna & eximia in hac vita esse creduntur. Contra hæc vero si ponantur mala & detrimenta ignauia, vt fecit Tyrtæus, fit illa virtutis species multo augustior. Est autem hoc non tam ab hominibus lata aliqua quam ipsius Naturæ lege sancitum, vt fortibus subiecti sint atq; parent ignaui. Itaq; omnium gentium consensu, victores imperant victis & omnibus fortunis illorum potiuntur. Quicquid aliqui tum prudentes, quiq; legum ac iurium periti, taceant, vt ait Plautus, loquantur ac disputent. Nunquam enim certe malam causam habuisse prædicatur quisquam, qui viribus & armis superior fuit, quantumuis bellum iniustum fuisse videatur. Quid autem refert, cum victrix causa deis placuit, si victa Catoni. Sed hoc iam differendum non est. Ad sententiam versus Tyrtæi redeo. His igitur commendantur fortes. Cum quibus quia habetur sermo doctrina & sapien-

sapientia^m, remouenda sunt consideratione prudentum omnia illa, quæ sermo doctrinae ac sapientiae refutat, vt conatus insaniae, impetus furiosi, neglectio ordinis, dissolutio disciplinae, temeritas, audacia. vult enim certo fortitudo, siquidem virtus est, non demens videri. Cum sine ratione & consilio nihil fieri geriq³ laudabiliter soleat. Iphicratem igitur Atheniensem de conductitiij militis natura & ingenio pronunciantem, quod & cupidum opulentiae & voluptatum sectatorem hunc esse conueniret, vt quomodo cupiditates expleret quærens, ita confidentius certaret: illum inquam fortitudinem celebrasse hoc dicto ne existinemus. Ex talibus enim militibus conflatum exercitum, suis etiam ductoribus esse formidabilem necesse est. Carthaginenses interdixisse suis vsu vini in militia accepimus. Non fugit enim homines callidos, quippe punice originis, neque quicquam esse in bello ad victoriae spem accommodatius pudore atque circumspectione, et vinum ad perturbandam mentem singularem vim habere. Non enim esse audacem & validum ac strenuum percussorem, fortitudinis laudem habet, non magis certe quam temulentos ad conflictus concurrere & cedere ac cedi, faciunt enim idem & fera bestia: sed consilio ac ratione fortiter res geritur, cum diligente & accurata consideratione quid fieri rectum sit ac debeat, & intrepida ac celeri executione omnium, quæ persuasio virtutis
sub-

subijcit. Talis neq³ temere hostem adoriatur, neque sine causa in periculum adducet vitam suam, multo minus autor erit exercitui saepe toti interitus. Sed idem neq³ perturbabitur metu periculi aut mortis, cadetq³ potius honeste quam per dedecus vitam retineat. Itaq³ Leonidam de Tyrtæo dicere esse solitum ferunt, talem illum esse poetam, qui pulcerrimis et optimis versibus iuueniles animos ad considerationem virtutis et honesti posset conuertere. Sentiebat enim tum demum fortiter in prælijs rem geri, si cum ratione & iudicio etiam vitæ aliquis suæ esset prodigus. Hoc ita se habere exemplo suo comprobarunt Lacedæmonij, quorum magister hic versificator fuit, quæ quidem ciuitas singularem fortitudinis famam est consecuta. Erant enim ita instituti, vt non modo vincere, sed etiam defendere & tueri scirent. Non enim virtutem esse statuerunt hostem percellere & sternere, sed se incolumem de hoste profligato recipere. Quare institutum fuit in illa ciuitate, vt non consererentur manus à procurrentibus & cõcitatis, id quod alij facere solerent, sed vt ad conflictum procederetur sedatis animis, & gradu composito, secundum modos tibiarum, quibus canentes anapestos per ordines dispositi essent, quorum melos minus vehemens putatur, & numeros habere idoneos ad motus venustatem. Itaq³ ne fugientes quidem hostes cursu persequi solebant, ne ordines soluerentur, quo multi saepe conseruati fuerunt.

L

fuerunt.

fuerunt. Ac fuit tanta sedatio animi horum, etiam in illo necessario diricantibus ardore, ut quidam iam iam obruncaturus hostem, cum receptui signum datum fuisset, retraxisse enses neque peregrisse ictum tradatur. Quem Xenophon amator huius ciuitatis, in suam de Cyro historiam transtulit, Et Chrysantam fecit, eumque hoc nomine à Cyro & laudatum et premio affectum esse scripsit. Ad tales igitur utilis fuit versuum & carminis admonitio: in barbaria autem vesania, aut etiam temeraria iracundiæ commotione & impetu ferociæ nihil his proficeretur, vel nuge istæ potius & ineptiæ ducerentur. In exercitu & acie Romanorum lituo tuba commistus sonitus, acrior scilicet res fuit, ut tota administratio belli & pacis in hac ciuitate plenissima seueritatis, constantiæ, dignitatis, roboris. Itaque & imperium illud incrementa admirabilia fecit, & postea in distractione ac conuulsione toti orbi terrarum fuit formidabile, cum iam illi ipsi qui parere imperio deberent, iure potestatemque imperij ad explendas cupiditates auariciæ & libidinum abuterentur. Et tanquam in Tragœdia personatum Tyrannum, ita qui speciem haberet ducis, aliquem modo præsicerent & extollerent, modo abijcerent & supplantarent. Quemadmodum cum alias factum fuit, tum insigne exemplum exhibent Neroniana tempora. Nerone enim interfecto paucis mensibus, palatium & imperij quasi penetralia, qua-

tuor principes accipere & excludere : Vno veluti in scena introeunte , altero exeunte , quem tamen ille veniens mox esset egrediendo secuturus. Sed hæc longium nos à proposito abducunt. In Callinói siue Callini versibus præcipua est sententia, quæ id quod omnium iudicio atque sententia maxime est terribile in primis refugitur , conatur ostendere minus esse extimescendum. Nihil autem mortis & interitus tristitia , magis perturbare & grauius affligere animos hominum solet. Hic sensus naturæ est , quod morte in singulis extinguí vlla videatur. Ita maxime esse contra naturam mors existimatur , & in aduersis quoq; & miseria & ærumnis refugitur , nisi error insanie aut peruicacie iudicium & sententiam deprauet , vt fit in aliquibus , qui sibi ipsis manus inserunt : Quos vel morbo vel opinione atq; perturbatione rationis & mentis desipere necesse est. Sani igitur omnes mortem sentiunt esse rem tristissimam, idèoq; ad huius mentionem quoq; cohorrescunt. Quæ igitur erit aut omnino esse poterit consolatio , qua animus confirmatus mortem suadeat fortiter optendam ? vel nullo modo etiam extimescendam esse. Alij quidem alias exquisiuerunt , de quibus nunc verba facienda non sunt. Et nos supra ostendere conati fuimus , in tota humana sapientia ac doctrina , harum rerum veritatem non reperiri. Sed hic noster autor necessitatis consolatione est vsus.

Quemadmodum autem ista splendide dici possunt: ita quantum valeant cur non verba magis sunt, sed iam ad rem conferuntur, nescio.

Id quidem certe constat, Necessitatem quod habeat, delectatione carere. Poeta autem quidam Graecus Euenus, ausus fuit pronunciare, omnem neccitatem habere molestiam. quid igitur me adiuvat is, qui mortem necessitate naturæ oppetendam esse doceat? neq; esse per fugium ab illa, neque contra hanc medicinam inuentam, & his similia, Si necessitas semper dolorifica est.

ἡδὴ γὰρ ἀναγκάτων ἕλημι ἀνιγόν' ἔφυ.

Quale autem existimandum hoc remedium, quod eandem affert incommoditatem, quam habet ipse morbus. Tristis & terribilis res est mors. Necessitas etiam ipsa tristitiam habet, ut ostendimus, duplicabitur iam ergo miseria, non leuabitur. Non grauius ferendi sunt, inquit Lysias, naturæ casus. Quapropter? Quia mors communis est omnium, & corripit tam ignauissimos quam fortissimos. Neq; enim illa futiles negligit, neq; præclaros magni pendit, sed est æqua vniuersis, quemadmodum & Horatius cecinit:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum taber-
Regumq; turres. (nas

Hæc non ad bonam spem, sed ad strenuam desperationem prosunt: ut magis animū ægrum talibus disputationibus deijci & prosterni, quam erigi & confir-

confirmari credibile sit. Verum nihilo tamen minus sententia ista & oratio & illustris & speciosa est qua vititur apud Homerum & Sarpedon hortans Glaucum consobrinum suum, ut animo forti in praelio versari, neque vitæ conseruanda studio hostibus cedere velit, hoc modo, ut conuertit in Latinos versus Eobanus Hessus :

Si tanti defunctos munere belli
 Expertem senij ætatem vitamque, perennem
 Victuros nos vlla foret spes, non ego certe
 Ante alios pugnare velim, nec te ista iuberem
 Ut faceres, quæ laude viros & rebus honestant
 Eximijs, vnde & decus immortale paratur.
 Nunc cum mille modis obnoxia corpora morti
 Simus, & huc illuc versent nos fata laborum
 Incerta serie, quæ non datur effugere vlli,
 Irrumpamus, ut aut nobis decus inde paremus,
 Aut alijs ipsi tribuamus sanguine nostro.

Secundum hæc & Pindarus in hymno Olympico primo hæc fecit, θανείν δ' οἷσιν ἀνάγκη τίκεται ἀνώουμον γῆρας ἐν σκότῳ καθημένε εἴσει μάταν ἀπάντων καλῶν ἀμμοροσ. Cicero autem Philippica X. luculente auxit hæc ita : Quod si immortalitas consequeretur presentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda esse videretur, quo diuturnior esset seruitus. Cum vero dies & noctes omnia nos vndique fata circumstent, non est vestri nominisque Romani, dubitare eum spiri-

tum, quem natura quis debeat, patriæ reddere. Demosthenica eadem sententia nota est, exposita in oratione pro Ctesiphonte. Hæc igitur præclare. Sed iste poëta, quisquis fuit, nihil enim adhuc quidem præter nomen certi inuestigare de illo potui, cum quidem huius meminerit Athenæus libro 12. *ἡλεγεῖο γὰρ φου*: Hic igitur præmia fortis interitus, & animæ impensa defensionis patriæ, etiam commemorat honorem & celebritatem famæ, & memoriam civium gratorum, quæ non contingunt ignavis. Vel his potius contraria de illis sentiunt ac loquuntur omnes. Ut autem quid de suis liberis post mortem suam fiat, qui non ingenio prorsus inhumano est, sollicite cogitat, & in spe bona de his placide acquiescit, sic necesse est vnumquemque posteritatis de se honesti iudicij spe delectari. Nisi forte hæc potissimum ad cognatos & propinquos pertinet consolatio, quos certe gaudere æquum est virtute suorum tantam celebritatem famæ toti generi partam esse. Neque amissione illorum magis dolere, quam hac felicitate libenter frui, cum suum sanguinem humanæ equidem & mortalis originis, nihilominus immortalis virtutis laude celebrari intelligant, & huic tales honores haberi, qui omnium existimatione maximi sint & præclarissimi: Prædicationis fortium facinorum, sepulture publicæ, Etiam funebrium ludorum, more veterum. Quibus iam secundum persuasionem illorum, humanam hanc mortalem condi-

condi-

conditionem, cum immortalium cultu conferrī vel etiam equari necesse est. Ita Plato quoq; hac diseruit in Epitaphio, magis demonstratione ornamentorum et commodorum, quae de fortis viri interitu ad familiam ipsius peruenirent, luctum propinquorum reprimens, & quid illos facere rectum sit docens, quam quod ista magnopere ad perfunctum iam quasi munere vite sua pertinere arbitretur. Quae tamen qui legibus ad istum modum constituta esse, & seruari more scit, Is alacri animo etiam mortis periculum adit, non modo pro patria, sed hac salua etiam pro vita beata suorum dimicans. De Tyrtao hoc etiam non fuit silentio praetereundum, more legitimo ad tabernaculum Regis Spartanorum illius Elegias fuisse recitatas.

Sed hic iam commentationum istarum finis esto. An. Christi
Iesu, M. D. L I.
Cal. Octob.

F I N I S.

IOACHIMI CAMERARII PABERGENSIS, ENUMERATIO EORVM, QVAE IN docendo seu institutione praecipue sequenda esse videantur, conuersa è Græca ipsius in Latinam.

DOCTRINA QUID ESSE dicitur, & quot modis? *Doctrina quidem est ignorantiae solutio, & eorum quae aliquos fugiunt representatio, & occultorum explicatio. Diuiditur autem in traditiones alicuius proprias & suas, & alienorum scriptorum enarrationem, vel ut simpliciter dicamus: Simplex haec est, tam propriarum quam alienarum praceptionum, subiectionumq;, & profundarum atq; sapientum cogitationum expositio, cum attentionis mora conueniente, & diligente studio, ut ea quae commemorantur & leguntur, à discipulis percipi possint.*

Sed quinam discunt? Neque sapientes scilicet neque inertes, secundum fallacem in Euthydemio conclusionem, sed studiosi. Qui, si nomina recte definiantur, partim sapientes, partim inertes erunt atque appellabuntur, secundum distinctionem rei subiectae. Similiter et discipuli, discant illi quidem quae nec dum norunt, audientes vero

L 5 recita-

Quid quid?

recitari ab aliquibus quæ forte iam cognouerunt, ea intelligunt.

Discere vero quidnam perhibemus? Id nimirum quod in eodem Euthydemo dicitur. Scientiam adipisci eius quod discitur, nos tamen recte adiecerimus, fallacie excludenda gratia, ab ijs qui nondum sciunt, vel qui prius ignorarunt.

Ad quod genus orationum refertur, forma orationis doctrina? Quidam distinguunt volunt Doctrinam ab enarratione, forma remissa & temperata elocutionis. Et sentiunt hi scilicet esse Doctrinam, tractationum & disputationum & consultationum: Enarrationem vero, interpretationem scholasticam eorum, quæ difficile est assequi, & explicationem & explanationem obscurorum, et disciplinarum elaborationem. Nos autem formam enarrationum ad virumq; genus accommodantes, quid quidem Enarratio sit diximus, & à iudicialibus & suasorijs materijs separatis Enarrationibus & doctrina, affirmamus hoc genus ad tertium orationum Rhetoricarum referendum esse, quod vocatur, Demonstratiuum, & comprehendit disputationes & doctrinam & Enarrationes & Epistolas, & si quid his est simile.

Qualem esse præceptorem conuenit? Primum gnarum earum disciplinarum quas profitetur se docturum esse. Deinde natura discipulorum peritum.

tum. Tertio grauem quidem illum, sed neutiq̄am
 tetricum, & non superbum, idoneum tamen ad
 gubernandum. Ceterum studium, diligentia, at-
 tentio, simplicitas morum, & liberalitas & affa-
 bilitas, & laborum patientia, & affectio bona
 erga operas scholasticas, utq; crudelis non sit neq;
 plagosus, neue remissus nimium & indulgens, Et
 ne peruicax sit, ac benignus potius, & si quid
 est eiusmodi præterea, Id vniuersum iam non par-
 tium loco proprie enumerauerit aliquis in presen-
 tia, sed tanquam communis & generalis modi
 quiddam considerauerit.

Qualem decet esse discipulum? Primum eum
 cui carus sit magister. Deinde societatis & equa-
 lium amantem. Tertio non stupidum. Quarto stu-
 diofum. Alia enim quæ enumerari possent, tanquã
 pertinentia ad probum discipulum, generalia qua-
 dam existimari debent: Ut pietas erga Deum, re-
 ligio, cura, alacritas, vigilantia, humanitas,
 mansuetudo: Ne rixator, ut osor sit iniusticia, ut
 patiens, ut alienus à contentionibus, ut obnoxie
 pareat, & his similia alia.

Quale tempus disciplinae & qui locus idoneus?
 Omne quidem, ut breuiter dicam, tempus & lo-
 cus quius ad discendum opportunus est: Commo-
 ditatem habet autem inprimis tempus quidem
 matutinum, secundum versus Hesiodi:

Namq; aurora operis cuiusuis tertia pars est.

Aurora acceleratq; viam, acceleratq; opus omne.

Locus

Locus autem qui est magistro proximus, nempe is qui à doctrina nomen habet, & schola, seu Palaestra & Gymnasium & Academia & Lyceum nominatur. Recte enim dicitur. Oves in caula optime degere & curari.

De aetatibus vero, verum est, non oportere de numero annorum definire aetatem discipuli futuri, sed eius qui institui debeat ingenio.

Quare vero appellatus fuit disciplinae locus his, quae recensuimus, singulatim nominibus? Id igitur quod à docendo ducitur, manifestum est.

Schola autem id est, ludus dicitur, quoniam à alijs rebus hic otium conceditur. Palaestra vero & Gymnasium translate, cum iam animus exerceatur ad virtutem, quemadmodum olim corpora exercebantur nuda, cum luctatione, tum alijs certaminibus. Sed Academia ac Lyceum, quia proprie veterum sapientiae ac studio clarorum, inprimis Platonis & Aristotelis loca, quae ipsis docentibus frequentabantur & ubi versari solebant, his nominibus appellabantur.

Quae est causa doctrinae? Finis hic quaeritur, aliarum autem causarum exquisitio nunc necessaria non est. Finis igitur est, preparari aliquos celebri scientia & loquentes, ut in rerum diuinarum & humanarum curationibus diligentiae operam nauare possint tam sibi ac suis quam extraneis, publice ac priuatim, & barbariae labes ut exterminetur, & ad virtutem à prima pueritia vita instituat. Qua-

Qualis res quaedam existimari debet doctrina?
 Quae & Deo grata sit, & vitae humanae necessa-
 ria, Decus ciuitatum, & conseruatio hominum
 in terris: Tota honesta & bona commoda.

Quae est materia, & quae sunt quasi instru-
 menta doctrinae? Libri & vox. Adesse autem &
 calamos oportet & cartam & atramentum et en-
 siculum. Ante omnia autem studium & industri-
 am, vt absit negligentia & vecordia. Quemad-
 modum ferunt ambigua oratione significasse Iso-
 cratem, cum subijceret interroganti, qua re opus
 esset ituro in ludum, responsum, vt accepimus, quo
 significatur stilo & libello, opus esse, sed additur
 nouo, idq; nomen Graecum disiunctum notat eti-
 am cor & intelligentiam. Ex libris itaque eligantur
 optimi & maxime utiles. Vocem autem eam esse
 oportet quae & exaudiatur facile & sit clara tam
 in magistro quam discipulo. Calamus vero, seu
 vt nos vtimur, penna, spissa non sit sed fissilis.
 Carta leuis & candida & pressa, atramentum
 temperatum & fluidum quidem, non tamen
 euanesceus. Tale erit maxime Eobanicum secun-
 dum nostram descriptionem. Ensiculus tenuis &
 acutus & ad subigendum idoneus. vsus tamen erit
 & vulgariu[m] omnium horum, si non suppetant
 qualia maxime aliquis vellet, secundum prouer-
 bium quo monemur, vt salsamenta boni consula-
 mus si deficiamus carnibus. Quod ad studium, in-
 dustriam, & cor attinet, omnia praecclare esse pra-

parata debent, ut & prompta voluntas, & ingenium bonum asit.

Quis est doctrinae seu institutionis modus, & quae ratio? Unus est modus praeceptionum & traditionum & enarrationum. Alter interrogatorum, cum magister retroducit discipulos & percontatur de ijs quae audierint, & iubet recitare ipsos ea quae sunt dicta. Expediet uti magistrum etiam illa, quam vocant progressionem, ut sub aspectum ponat contemplatione sua, ea quae mox docendo tractaturus sit. Nec non transitione, reuocantem in memoriam auditori ea quae sunt explicata, & preparantem ad cogitationem sequentium.

¶ Quam multa sunt quibus haec comprehenduntur? Duo fere, quibus & artificium includitur, Exquisitio eorum quae ad vocabula, & quae ad sententiam pertinent.

Quomodo considerantur vocabula? Varie illa quidem, sed praecipue duobus modis, Cognoscitur enim potissimum in vocabulis, Natura horum simplex & propria, itemque translata & figurata. Estque haec scientia communis sententiae & orationis. In vocabulis autem spectatur peculiariter, utrum absoluta, id est, sola sint, an coniuncta, quae iam est oratio. Nam orationis, in qua est constructio verborum, pars est significans aliquid, vocabulum. Sed oratio, secundum Aristotelem, vox est composita, significans, cuius etiam partes significant aliquid.

Quomo-

Quomodo explorantur vocabula sola? An Latina sint, an vsitata probatis autoribus, an flexus suos habeant. Quae quibus rebus congruant. Soluta ne orationis an poëtice propria. Ad flexus quod attinet id, spectare solemus in recta voce & prima, itemq; in casibus. Casus autem finem mutant, quibus & significatio variatur, Tam habitu seu figura, quam numero & personis & genere & modis & affectionibus, & ut semel dicam: Recta ac equabili forma, & ea quae obliqua ac supina dicitur, in omnibus vocabulis, quae non sunt expertia flexus in perficienda orationis structura.

Qua est laudabilis constructio? Ea quae maxime congrua vocabulis, & non vitiosa est. Nam in verbis rusticitas & peregrinitas, nominatur barbaries & barbarismus, Sed oratio deprauata, Solœcismus: Sive à Solis Cypriacis deducto nomine, seu aliunde facto, in qua quidem omnino significatione inest, labefactio integræ orationis. Est & alia consideratio structurae, quae attendit, quid deceat in oratione & ornatum atq; pulcritudinem habeat, & quae distinguit orationis effigiem secundum subiectam materiam, & formas, & speciem puræ ac elegantis dictionis, huicq; contraria. Itemq; secundum circumductiones ac numeros, & vagum genus ac solutum, atq; hæc proprie compositio vocatur. Harum autem orationum vna Latinitatis, altera eloquentiæ laudem

laudem habebit. De quibus quæ ad rem pertinent, ea paucis & breui diuisione enumerari nequeunt, neque hoc facere in præsentia nobis consilium est. Quare iam huius tractationis quam in manibus habemus, persequamur reliqua.

Proprium et figuratum quomodo animaduertitur? Proprium quidem secundum primam designationem & communem usum. Sed figuratum in metaplasms & mutationibus. Tropi & schœata appellantur, tam dictionis quàm sententiæ. De his verò copiose disputare si quis velit, is propriam tractationem instituat, oportet. Et nos, Deo volente, dabimus operam, vt alias exquiramus diligentius, cum nemo, quod sciamus adhuc illa perspicue et perfecte exposuerit.

Quæ est sententiæ consideratio? Varia. Nam & quid vocabulis demonstratur, & quid animo comprehendatur, explanandum est. Si quod enthymema, si qua sententiæ generalis, si qua narratio fabulæ aut poëtica aut historica. Si quid ex eo genere quod ab usu nomen Græcum habet. Si quid ad mores aut naturam pertinet. Si quid ambiguum. Si quid nonum & singulare. Si quid venustum ac suaue, aut contra rusticum & asperum. Si quid multiplicem habet vtilitatem. Si quid peculiari modo factum. Si quid densum & prudens: & contra, si quid dissentaneum & timidum. Verum autem & falsum in primis ac potissimum intuebimur. Verum quidem amplectentes

Atentes & commendantes, sed falsum repellentes
& excutientes non secus atq; bestias venenatas, si
que adhaerescere forte conentur membro alicui.
Non enim maius periculum fuerit, viperam in si-
nu gestare, quam mendacium quasi in lustrum
cordis vbi incubet recipere.

Quo pacto interrogationes sunt instituenda?
Simpliciter quidem interrogabitur auditor, an
intellexerit id quod dictum fuit. Sed partiri haec
in tria licebit. Primum an vocabulum cognoue-
rit. Secundo an perspexerit structuram orationis.
Tertio an significationem & sententiam assecutus
sit. Est autem interrogatio in docendo maxime
necessaria, siquidem magister scire debet, nun-
quid profecerit discipulus, & quo ingenio quaq;
cupiditate sit ad discendum. Nam quidam eius-
modi sunt, vt non statim appareat, quod aut ne-
queant discere aut nolint. Explorationes autem
bonitatis naturae, secundum Xenophontem So-
cratem, sunt et res praecipuae, sagacitatis, memoria,
& tertia studij. Nam Socrates, vt ait Xenophon,
coniecturam facere solebat de bonis ingenijs, ex
celeritate discendi ea quibus animum attende-
rent, & si meminissent percepta, & si cupidi es-
sent honesta & utilis doctrinae.

Ad interrogationes referetur & lectio & re-
citatio memoriter. Lectio quidem maxime indi-
cat profectum, fieri enim certe nequit vt ineru-
ditus & stolidus praclare legat scripta eloquen-

tum & sapientum. Quemadmodum igitur legendi conatus, primum quoddam discendum in ludis exercitium: Ita idem specimen est institutionis. Quapropter qui inter magistros sunt diligentiores, plurimum laboris hac in parte impendunt, & preposita ad enarrandum prælegendo, magno cum studio & attentione singulari percurrunt. Hinc & enarrationi etiam nomen inditum, ut lectio vocetur, quæ est communis docentibus & discipulis. In lectione ut omni reprehensione & vituperatione careat, seruanda sunt hæc. Primum sit lectio perfecta, ut tanquam depositum veræ scripturæ illa reddat. Secundo plana, cui contraria est dissoluta & peruersa, & rursus confusa & indistincta. Tertio liquida, ut vox penitus exaudiatur, & neque in tenuitate euanescat, neque ressecando aliquid excidere patiatur eorum quæ sunt representanda. Quarto morata, in respectu & cogitatione eorum quæ leguntur, & accommodatione gestuum vocis ad res subiectas, sicut vnaquæque harum exigit, siue attollenda seu deprimenda seu flectenda fuerit aliquo modo, ut huius sonus prorsus concinat cum sententia eorum quæ commemorantur.

Iam memoriter pronuntiare dictata doctrina, maxime utile est studium in pueris. Debent autem à tota doctrina, sic ab ijs quoque quæ memoriæ mandari volumus, maxime abesse futilia, & si qua nihil artis, aut artis inanem similitudinem habent.

habent. Minime vero implicentur doctrina ea, in quibus est artis species mala & perniciofa. Itemque opiniones mirabiles & quaecunque communi intelligentiae aduersantur. Maxima enim ostentatores sapientiae in animis hominum procreant detrimenta. Si ausint commouere aliquid in rebus quidem humanis, quod à communi noticiâ abhorreat, in diuinis vero, quod contrarium sit veritati diuinitus traditâ. Quapropter bonus magister in primis repudiabit ea quae sensum habent contrarium, vel religionis concordia & confessioni, vel communi noticiâ & iudicio, tam piorum quam grauium virorum. Et insuper quicquid aliquid turpe verbis manifeste representat, quae non secus quam gladius anceps animos satiant. Cuiusmodi sunt scurrilitatis & leuitatis & nefariae obscœnitatis non dicenda dicta. Sint Itaque ea quae apud memoriam deponentur, pia, honesta, vtilia, admonitionem aliquam aut correctionem aut praeceptum, aut subiectionem bonam complectentia. Non fuerit autem alienum magistrum exigere recitationem quoque enarrationis suae.

Iam scribendi studium, statim ab initio tale volet esse magister, vt & figura litterarum expressa, & syllabae absolutae sint. Non enim alienum esse existimandum est, quamuis à non paucis qui prestare alijs cupiunt, negligatur, operam dare vt scriptura sit accurata & plana & facilis, siue

sue cuiusq; cogitationes describenda, seu aliorum doctrina & oratio hac custodia indigere videatur.

Verum quoniam proposita enumeratione obseruandorum in docendo, generali, sensim quodammodo, ad puerilem institutionem & eam quæ proprie sermonis est, delapsos nos esse vix sensimus, cum quidem omnis doctrina & omnium disciplinarum hoc sit initium atq; fundamentum, iam nunc quoq; de oratione paucis commemoratis, & huius præscripta distinctione, ita, quasi colophone imposito huic tractationi, ea parte quæ facultatem scribendi continet, commentationem hanc nostram finiemus.

Enumerationem partium seu formarum orationis, aiunt appellasse Protagoram, fundos seu radices, & quatuor distinxisse nominibus, Voti, Interrogationis, Responsionis, Mandati. Alij quidam partiti sunt orationem in septem formas has: Narrationem, Interrogationem, Responsionem, Mandatum, Denunciationem, Votum, Vocationem. Alciamantem perhibent fecisse formas quatuor: Affirmationem, Negationem, Interrogationem, Appellationem. Sunt qui exquisite prorsus hæc tradere conati, diuiserunt orationem in figuras triginta nouem.

I. Q V I S I L L E Q V I
loquitur.

Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est.

2. Q V I

2. QVI CVM ALIQVIS

loquitur.

Parce metu Cytherea manent immota tuorum
Fata tibi.

3. PERCONTATIO.

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter?

4. RESPONSIO.

Nulla tuarum audita mihi, neq; visa sororum.

5. ABLEGATIO.

Vade age nate, voca Zephyros & labere pennis.

6. MANDATVM.

Vos famuli quæ dicam animis aduertite vestris.

7. NVNCIVM.

Turne in te suprema salus, miserere tuorum,
Fulminat Aeneas armis.

8. NARRATIO.

Vrbs antiqua fuit Tyrj tenuere coloni,
Carthago.

9. CONCIO.

Ante equidem summa de re statuisset Latini
Et vellem & fuerat melius.

10. GENERIS ENARRATIO.

Dardanus Iliacæ primus pater vrbs & autor
Electra, vt Graij perhibent, Atlantide cretus.

11. LOCI INDICIUM.

Est vrbe egressis tumulus templumq; vetustum
Desertæ Cereris.

M. 3 12. ACTIO.

12. A C T I O.

Hæret pede pes, densusq; viro vir.

13. L A V D A T I O.

*Filius huic iuxta Lausus, quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpora Turni.*

14. V I T V P E R A T I O.

*Primus inquit bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor diuûm Mezentius.*

15. T E M P V S.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

16. E P I P H O N E M A, Q V A E

est sententiosa conclusio.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

17. I N D I C I V M.

Hic vir hic est, tibi quem promitti sæpius audis.

18. V O C A T I O.

Huc ades ô Melibæe.

19. A C C V S A T I O.

*Tu lacrimis euicta meis, tu prima furentem,
His germana malis oneras atq; obijcis hosti.*

20. R E C V S A T I O.

De grege non ausim quicquam deponere tecum.

21. A P P E L L A T I O S E V

compellatio.

*Heus inquit iuuenes monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum.*

22. N E G A T I O.

Abnegat, inceptoq; & sedibus hæret in iisdem.

23. A S S E N S I O.

Rem

Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
 Consulis ô bone Rex.

24. ADMONITIO.

Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella,
 Neu patriæ validas in viscera vertite dextras.

25. VOTVM.

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.

26. DEPRECATIO.

Quod dij prius omen in ipsum
 Conuertant.

27. PRECES.

Per patrios manes, per spes surgentis Iuli,
 Te precor, hanc animam serues, natoq; patriq;.

28. INSULTATIO.

Istic nunc metuende iace.

29. COMMISERATIO, QUI
 est affectus vehementior.

Quid primû deserta querar? comitemne sororem
 Spreuisti moriens?

30. DEPLORATIO.

Heu genitorem omnis cura casusq; leuamen,
 Amitto Anchisen.

31. INTERMINATIO. (das

Quas pœnas mihi Turne dabis, quã multa sub vn-
 Scuta virum, galeasq; & fortia corpora volues
 Tibri pater?

32. DENUNCIATIO.

Dicite Dardanide, neq; enim nescimus & urbem
 Et genus, auditiq; aduertitis equore cursum,

M 4 Quid

Quid petitis ?

33. SENTENTIA GENERALIS.

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

34. IMPERIVM.

Tu Voluse armari Volscorum edice manipulis,
Duc, ait, & Rutilos equites Messapus in armis.

35. CONVICTIVM.

O vera Phrygiæ, neq; enim Phryges.

36. EXPROBRATIO.

Hic alienus oves custos bis mulget in hora.

37. IVSIVRANDVM.

Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.

38. PRÆDICTIO.

Bellum ingens geret Italia, populosq; feroces
Contundet.

39. INTERDICTIO.

Te super aethereas errare licentius oras,
Haud pater ipse velit summi regnator Olympi.

Secundum hanc in simplice oratione figurarum per diuersas formas exquisitionem, etiam alia simili modo enumerare liceat, si quis diuisiones generales quasi asses comminuere velit, qualis fuerit, Exultatio & magniloquentia.

Turnus ego haud vlli veterum virtute secundus.

ET CONTEMPTVS.

Bis capti Troës.

ET

ET INVOCATIO.

Musa mihi causas memora.

ET HORRIBILIS ORATIO.

*Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,
Horresco referens, immensis orbibus angues
Incumbunt pelago.*

ET EXPRESSIO.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt.

ET BLANDIMENTVM.

*O quam te memorē virgo, namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ô dea certe.*

ET REPULSIO.

Maturate fugam.

ET PRAEDICATIO

de seipso.

*Qualis eram cum primā aciem Preneste sub ipsa
Straui, scutorumq; incendi victor aceruos.*

ET quæ alia quoq; posset adiungere notando
is, qui communis sermonis quasi formas distingue-
re vellet, vt consolationem, Prosecutionem disce-
dentis, Increpationem, & cætera. Nam quæ pro-
priè figuræ dicuntur, eæ nunc inculcandæ non
sunt. Restat igitur, vt promissa de facultate scri-
bendi, nunc præstemus.

Totius studij nostri quasi corona qua ædificium
concluditur, est facultas scribendi. Quam si quis
se consecutum esse putat ipsum quoq; is absoluisse
opus existimatur, neq; amplius iam discipuli loco
habetur, sed magistri autoritatem adipiscitur.

M S

Necesse

Necesse enim est eum qui didicit luculentum scri-
 ptum componere, iam etiam eum esse, qui copiosa
 & eleganti oratione uti possit, quiq; habeat præ-
 paratas, præclaras & directas cogitationes ad
 usum elocutionis. qualis qui erit, is nimirum &
 magistri locum, si ita videatur, obtinuerit. Non
 autem esse hunc quasi finem totius diligentia stu-
 diorum, in promptu neque obuium, cum aliunde
 tum hinc cognosci poterit. Nam omnibus tempo-
 ribus ac locis, cum plurimi scriptores extiterint,
 paruo numero liceat comprehendere eos, tam ve-
 teres quam recentes, qui veram in hoc genere
 laudem assecuti esse videantur. Verum de his, non
 enim breuiter satis explicari res potest, & copio-
 se hanc disserere intempestiuum forte atq; etiam
 odiosum fuerit, hunc finem faciamus disputatio-
 nis nostræ, de enumeratione eorum quæ in doctri-
 na puerili sequenda esse videantur: Satis habituri,
 si cui eorum qui primum instituuntur utiliter,
 collecta sint. Non tamen ita ut plane nulla spes
 sit, non etiam aliquibus bene institutis, & quo-
 rum aliqua in studijs celebritas est, hunc laborem
 nostrum gratum acceptumq; futurum esse. Sed
 de his quicquid acciderit, id quod nullo modo
 grauius feremus, ac boni potius consulemus quem-
 cunq; rei euentum. Ut vero vera disciplina inue-
 niat adiutores & curatores & præsides, tam vo-
 luntate fidos, quàm facultate efficaces, ut hæc
 quasi vix prospectans, non rursus refugiat & oc-
 culte-

cultetur, oremus communiter vota facientes
 Deo, omnes quotquot & virtutis amantes & vi-
 tiorum ocores sumus: Vti ne emergens barbaria
 & amentia, cum inscitia & ignoratione bona-
 rum artium, cumq; noua dissentanea sapientia,
 sicut antea, contamine Ecclesiam Christi &
 communem vitam hominum. Sed vt lingua rur-
 sum exerceantur & mens repurgetur, & ratio
 dirigatur, ad inseruiendum studiose gloria & ho-
 nori aeterni Dei patris domini nostri & saluatoris
I E S V C H R I S T I, ad utilitatem Ec-
 clesiae ipsius, & bonum commune credentium,
 per afflatum Spiritus sancti: Cui vni, soli, aeterno,
 laudibus omnibus celebrando, omnipotenti, inui-
 cto, casto, benigno, mansueto, misericordi Deo
 sit gloria, honor, miseratio, potentia,
 in secula seculorum.

Amen.

CAR

CARMEN GRATIARUM
 ACTIONVM ET
 PRECVM, CONVERSVM
 è Græco.

O Christe gratiarum
 Reddo tibi actionem
 Saluator & redemptor
 Hominum, atq; præpotens Rex
 Vitæ huius vniuersæ.
 Te, cuncta qui creasti
 Et liberaſti, adoro,
 Benedico, coloq; solum.
 Et ſeruo tibi ſoli,
 Et te timere ſolum
 Et debeote amare.
 Magis quidem te amare,
 Te maximeq; amare,
 Tot munerum datorem,
 Te fretus vno ego ſum,
 Et ſub benignitatis
 Umbra tuæ dieſq;
 Noctesq; dego totas,
 Et tutus vndequaq;

Securum

Securum ago modo æuum.
 Morbis tua leuatus
 Ope sum malisq; liber.
 Pericla tu fugasti,
 Tu sustines ruentem,
 Tu suscipis labantem.
 Corpus redintegras tu,
 Animam meam misellam
 Verbo tuo dolores
 Pellente, tu medendo
 Sanas, foues, repurgas.
 O gratias ago tibi,
 O Christe, pacto agens quo
 Te laudibus celebrem?
 Sumens tuæ salutis
 Ego poculum relucens,
 Nomen tuum inuocabo
 Dei mei potentis,
 Nomen sacrum, profanis
 Et impijs timendum,
 Tibi supplicabo & orans
 Te, mi Deus, precabor,
 Aeterne, vere, sancte,
 Qui finis omnis expers

Et

n

Et originis, gubernas
 Quam te creasse constat
 Rerum vniuersitatem,
 Dominus Deusq; noster.

F I N I S.

L I P S I A E

IMPRIMEBAT IOHANNES
 STEINMAN.

A N N O

M. D. LXXIX.

3



Cl. 1849.


ULB Halle 3
004 976 86X




Sb,
Cl. 1849.

A. L.







PRÆCEPTA ²

MORVM AC VITAE
ACCOMMODATA ÆTA-
TI PVERILI, SOLVTA ORA-
TIONE ET VERSIBVS
QVOQVE EXPO-
SITA,

A ·

IOACHIMO CAME-
RARIO PABEPERG.



Lipſiæ.

CVM PRIVILEGIO AD ANNOS
QVINQVE.

